Areopagitica

coll. compl. f
8°. 147, (1 blank) ll.

Not in BM STC German & Adams
VD 16 G 110 = H 3666

Hildwin of St. Denis
Only edition

AREOPAGITICA,

SEV

Opuſcula quædam nuſquam hactenus excuſa,

DIVI

CHLVDOVVICI PII ROM.

Imper. ſemper Auguſti, ac verè Chriſtianiſs. Gallorum Regis, &c. Et D. Hildivvini vetuſti, ac doctiſs. annis ab hinc plus minùs octingentis Cœnobij Sanctiſs. Dionyſij, & ſociorum Martyr. Abbatis, de rebus geſtis, ac ſcriptis B. Macarij Ionici Dionyſij Areopagitæ, priùs quidem Athenien. Eccleſiæ Archiepiſcopi: deinde autem primi Gallorum Apoſtoli: quorum Indicem ſexta exhibebit pagina.

CVM

Matthæi Galeni Veſtcappellij Theologi Louanien. & Profeſſoris ſacrarum literarũ Academiæ Dilingana præfatione: in qua & Voluminis huius multiplex oſtenditur fructus, et Auctor Hildiuuinus ſimul atq; Areopagita Dionyſius à quorundam temerarijs cenſuris, ac obliquis, cauilloſiſq; inuectionibus diligentiſſimè uindicatur: & ad poſtremum duodecim M. Flaccij Illyrici obiectionibus reſpondetur.

COLONIAE,

Apud Maternum Cholinum. M. D. LXIII.

Cum gratia & Priuilegio Cæſar. Maieſt.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, REVERENDISSIMO CARDINALI, & Episcopo Albanæ Ecclesię, Domino Othoni Truchses à VValdpurg, Matthæus Galenus S. D. P.

NArcißi Ducis, auspicisq; fidi
Vrbis Vindelicæ, plagæq; Rhetæ
Vere, & summe Nepos, secunde nulli
Successor, decoris decus patriti
Augustum, nec honos minor senatus
Romani, patriæ pater colende,
Et spes post Superos habende prima
TRVCHSES *inclyte* OTHO, *scholæq; nostræ*
Mecœnas, columen, patrone, uindex:
Iam totos auidè admodùm opperitur
Tres annos propè Ionicus *magister,*
Antistes & Apostolus potentis
Gallorum diadematis, fidelis
Et uindex suus HILDIVVINVS *à me*
Non paruo antè quidem (mea ut tulit res)
Acceptus spacio, atq; honore summo
Affectus: sed & à malis quibusuis
Contractis latebris, situ, uetusto
Adsertus decori, suæq; laudi:

Ast ex quo modò tempore in dicatum est
Summo iure (uelut docet prolixè
Præscriptus prologus) tibi dicatus:
Hinc ut subsidio suis secundò
Nunc (si quando aliàs) periclitatis
Gallis auspicijs tuis abiret.

Nam ne principio quidem uenire
Gallis præco Dei tulit: priusquàm
Legatum Cathedræ PETRI administer
CLEMENS huic populo dedisset illum.

Nam Germania dum Lutetianis
Præsertim imperio tuo, colendum
Vrbs quem Roma sibi à Pio secundum
Summo iure putat, suum remittat
Primæuæ fidei ducem, & magistrum:
Non tantùm referet, quod antè ab illis
Accepit: sed & ipse Martyr illuc
Multò & lætior, efficaciorq́;
Et maturiùs aduolaret almus.

Verùm cùm uideam nec hos tumultus
Percharæ patriæ reuersionis
Vllam spem tuæ adhuc dare, uniuersæ
Nec Christi faciem Domus situram:
Istinc ut referas pedem, tuisq́;
Te reddas ouibus diu petitum:

Quòd

Quòd sis consilio potens, opusq́;
Totius capiti, thronoq́; mundi:
Idcircò licèt à sua probatum
Virtute, ac merito satis, superq́;
Et præsenti aliàs magis probandum,
Sistendumq́; tibi redire in urbem
Ad te iussimus, & Petri cathedram,
Vnde abs te, atq; adeò PIO supremo
Orbis principe, & altero beato
CLEMENTE ad ueteres suos alumnos
Ablegetur Apostolus saluber:
Ac partim reuocet, gregesq́; sanet
Errantes numero nimis benigno:
Partim quod reliquum reseruet intra
Priscas, & sibi primitùs statutas
Caulas, & solitis opimet herbis.

Quod fiet simul ac probatus istic
Censura, placito, & fauore uestro,
Excususq́; typis iubebitur per
Orbem Christiadem iuuare cunctos,
Et momos reliquos nihil morari,
Fretus iudicio throni supremi.

Τέλος.

INDEX AREOPAGITI-
corum, ſeu opuſculorum huius voluminis.

Matthæi

Matthæi Galeni Veſtcappellij in vetuſtum, & doctiſs. cœnobij SS. Dion. & ſociorum martyrũ Abbatem nunc primùm apparentẽ præfatio, in qua & multiplex opuſculorũ iſtorum oſtenditur fructus, & Auctor Hildivvinus ſimul, atque Areopagita Dionyſius à quorundam temerarijs cenſuris, & obliquis, cauilloſisq́; inuectionibus diligentiſſimè vindicantur.

AD ILLVSTRISS. PRINcipem, & Ampliſs. S.R.E. Cardin. Epiſcopum Albanenſem, Perpetuũ Eccleſiæ Auguſtanæ adminiſtratorem, Dn. ac Præpoſitum Eluacen. &c. Dn. Othonem Thruchſes à VValdpurg, Vniuerſitatis Dilinganæ ſingulare columen, & vnicum conditorem.

SI ullus R.C.T. *uel cuiquam alteri unquam liber meritò, & iuſtè eſt dedicatus: ſi unquam, uel noſtra ſaltẽ memoria opus aliquod prodijt, uel antiquum, uel recens, quod* Eccleſiæ *ſingu*

 larem

larem adlaturum uideatur utilitatem: Otho Truchsses Card. & Pontifex amplißime: profectò Hildiuuinus iste tibi inscriptus à nostra inopia, & nunc primùm apparens: is dicendus erit, & habendus. Nã ut priùs agamus de inscriptionis æquitate, & opportunitate: ac pòst de multiplici opusculi huius fructu: quis nescit legem penè à parente natura nobis infixam: ut clientes, alumni, & plebes nunquam ad Patronos, Hierarchas, atq; Hierophantas suos ina-
Deut. 16. a nes, & absque munusculis accedant? Non apparebis (inquit Moses) in cõspectu Domini Dei tui uacuus: haud scio num Maiestatis tuæ diuinæ agnoscẽdæ potiùs gratia, quàm Pontifices, & cæteros sacerdotes, & Leuitas quoq; alendi prouidentia. Sed utcunque se hoc habeat: ab ea peste, quam simoniam dicimus uulgò, & quam catholico clero inuidia hæretica, et
1. Re. 12. a. maleuolentia non desinit obiectare, erat D. Samuel in primis alienus: nullius se munera unquam moratũ non dubitans laudabiliter gloriari, & prædicare apud ingratos: attamen innocentiæ adhuc infantilis
1. Reg. 9. Saul eum adire ueritus fuit sine munere: & nisi minister argentei, seu statheris, quartam partem se ad manum habere condixisset. Quid mirificum, & duplici facilè Heliæ spiritu cohonestatum à Deo Heli-
4. Reg. 4. sæum commemorem à Baalsalisensibus singulis tot primitiuis hordeaceis, & tanta frumenti noui mensura donatum, ut centum uiris reficiendis suffece-
4. Reg. 5. rit, miraculosè tamen, ac superfuerit? Mitto Syrum

Naama-

Naamanum, penè prodigum in eundem, & eiusdem auarum puerum: mitto Sabæam Reginam, & reli- 3. Re. 10. a
quos Regis Salomonis salutatores peregrinos: mit- Psal. 71. b.
to deniq; Reges Tharsis, & insulas munera Christo Matth. 2.
Domino obtulisse, Reges Arabũ, & Sabæ dona sua adduxisse. Quapropter mihi nequaquam erat in legem hanc peccandũ: tametsi uocato, et iusso R. C. T. salutare: sed properare debui cum munusculo, quod nõstro instituto, nostræ consentaneum foret tenuitati. Quid à studioso, quid à Theologo, & quidem Orthodoxo aliud: quid congruentius expectari poterat, quàm sit opus hoc Hildiuuini? Fateor quidem gloriosius, & amplius uideri propria scripta ueluti consecrare: quàm aliena cuipiam attribuere, & ius eius rei sibi arrogare: attamen cùm Ecclesiæ sit utilius, & durabilius id quod feci modò posterius: non iniuriâ maius, & magnificentius donum haberi debet iste Hildiuuini liber, quàm lucubrationes quælibet nostræ, quantumcunq; operosæ, ac prolixæ: quas tamen inopiæ nostræ nullas suppetere T. C. duntaxat non indignas humilimè confiteor. Dabis igitur ueniam Pontifex Reuerendiß. quòd melioribus rebus destituti proprijs, excellentißimas M. N. uigilias, nostræ industriæ non omninò expertes, C. T. ausi fuerimus obseruãtiæ, et deuotionis ergò offerre, & sub conspectum tuum subire: præsertim cùm hoc in officio suprà, quàm credibile sit aptißimam secuti nobis uideamur rationem. Nam cui accuratis-

Cur Hildiuuini defensio M. D. Areopagitæ, & Encomiũ Germano dicetur Põtifici.

ſima, & facundiſsima non quidem noſtra (nam de ea iudicent alij licet) ſed Hildiuuini adſertio operum, & Euangeliſmi B. Macarij Dionyſij Areopagitæ rectiùs, & iuſtiùs offeratur, quàm ei, qui maximè omniũ (abſit inuidia uerbis) Germanorũ Antiſtitum uirtutes, & fidem ipſius imitetur & exprimat? Etenim licèt fortaſsis Galliæ quoq; non deſint Apoſtoli ſui æmuli, & hoc nomine præiudicari ſibi quiſpiam in ea gente poſsit expoſtulare: haud tamen continuò perſpicuum eſt Gallíane plus Areopagitæ, an latiſsima (ut Metrodorus loquitur in hac ipſa hiſtoria) Germania debeat. Siquidem et Germaniæ primũ Euangeliſtam eundem hunc martyrem extitiſſe Hildiuuinus noſter ſatis oſtendit, et (haud ſcio, an poſt eum) Michaël Syngelus in Areopagitæ Encomio: & ante utrunq; Metrodorus, ſiue quis alius ſit martyrij antiquiſsimi (quo de plura apud Hildiuuinum in apologia ſua) auctor: cuius hæc ſunt uerba: Τότε καὶ αὐτὴ μάλιστα Γερμανία ἡ μεγάλη χῶρα θηριώδους σκληρότητος καὶ ἀσεβείας μετέχουσα, ὑποτεταγμένη τὸν τράχηλον ἑαυτῆς τῷ τοῦ Χριστοῦ ζυγῷ ὑποθήσασα καὶ δεδαμασμένη ἔχαιρεν τῇ τῶν διδασκάλων στερεωθεῖσα πίστει. Καὶ αὖθις κατέῤῥιπτον τὰ εἴδωλα αὐτῶν, τὰ ἐκ τῆς αὐτῶν ἐξόδου ᾠκοδομημένα, καὶ λιμένα σωτηρίας εὑρόντες εἰδώλων ἔχαιρον ἀπολέσθαι τὰ ναυάγια. *quæ (ut omnia) facundiſsimè Hildiuuinus hoc modo interpretatur: Subdebat ſe (inquit) inermi*

uiro

uiro (Dionysio puta Areopagitæ) certatim Gallicanus cothurnus, atq; Germanica ceruicositas, iugūq; Christi suaue imponi sibi, acta cordis contritione, poscebat. Ab ipsis quoq; destruebantur idola, quorum sumptu fuerant, & studio fabricata, & inuento salutis portu idolorum gaudebant perire naufragia. Et paulò antè hic Parrisiam (sic uocat Lutetiam cum Græcis) ut Regiam sedem Germanorum nobilitate polluisse, ac floruisse retulerat. Quare iustißimè Germanicum Apostolum, & suum uindicem liquet Germano discipulo eius, & columini unico totius Germaniæ committi. Nam ille non tam gloriosè pro fide Romana, cuius erat Apostolus à Pont. Maximo B. Clem. legatus decertauit martyr, quàm tu fortiter eandem confiteris, cuius penè in adolescentia creari merueris Cardinalis: neq; tantum ille sudauisse uidetur, ut illa quàm latißimè diffunderetur per Gallias, & Germaniam, quàm usq; adhuc laborat, & conatur modis omnibus C. T. partim communicare eandem Germanis suis, partim eos in illa retinere, quam à beatißimo illo martyre primū Maiores uestri addidicerūt. Video hic mihi magnū aperiri campū Pontifex, & Cardi. amplißexpatiandiq; opportunitatē offerri in laudes, quas promereri nō desinas tuæ istius Academiæ institutione, propagatione, professorum idoneorū aduocatione, & promotione, studiosorum doctorumq; complexione, & susceptione: orthodoxorū deniq;
Eccle-

Ecclesiastarum, & scriptorum benigna remuneratione: uerùm nō inconsultè (ut opinor) memor prælusionis institutæ, & primæ nauigationis in lintre rudi terras longè relinquere, & uasto me credere tuorum elogiorum pelago, non debeo. Nam quæ fidei, & religionis êdideris exempla cùm alibi, tū in synodis tuis, quòd eius sis tibi conscius innocentiæ: ut non recusaueris quiduis in te, familiamq; tuam à conuentu Augustano decerni, si quid displiceret: & quæ obscuritas nostra hactenus uix tenui, & nō satis certa fama hinc è Belgio exaudijt de fidei in con iuratione Smalcaldica defensione, & mille periculis alijs constantia, & fortitudine: olim catholica posteritas copiosiùs, liberiùs, & ab adulatione, inuidiaq; tutiùs prædicabit: & nos quoq; qualescunque simus præcones: certè nequaquam maligni uirtutū admiratores, uolente Deo, sumus non futuri immemores. Hoc unum reticere non possum, neq; sanè decens fore existimo, quòd cùm in Dionysij sanctimonia, clementia, & misericordia potißimùm emicuerint, iudicij futuri seculi, & huius temporis indulgentiæ, & longanimitatis diuinæ memoria, & commonitio singulariter in eo prædicentur: facilè intelligere non omninò quasi hospites, & contemptores rerum, quæ in magna Christi domo Sancta orthodoxia gerantur, & membrorum suorum, aut certè Dei nostri, ac Domini oblitos: te nihil fingi unquam potuisse M. Dion. Areopagitæ similius. Nam quātæ
mansue-

manſuetudinis, & cuius in errantes, & quoquo modo lapſos exiſtas pietatis, & beneuolentiæ, immò et ſtudij: aliàs fortaßis opportuniùs, & uberiùs demõſtrabimus. Certè diuini timoris, et aßiduæ tribunalis ſeuerißimi meditationis tuæ, tot extant publica teſtimonia, non in Synodicis tantùm actis, quæ euulgata abs te legimus: ſed in prærogatiuis, Academicis legibus, alijsq; ſcriptis, & præfationibus, quæ paßim nomine tuo in lucem olim prodierunt, ut locus dißimulationi relictus nullus eſſe uideatur. Teſtatißimum nanq; ubiq; illic feciſti, primæ tibi eſſe curæ rationem pro ouibus commißis paſtorũ Principi aliquando ponendã. Quid quòd deceſſori C. T. Ioannem Eccium uideam dedicauiſſe Græcolatinum librum de Myſtica Theologia huius eiuſdem Dionyſij, ſuis duntaxat Scholijs utcunq; illuſtratũ: & iſta ratione magnam iniuiſſe gratiam, & Principi factum illud perplacuiſſe? Equidem (ut quod res eſt dicam) ubi primùm eam comperi, libro illo hîc à diſcipulo aliud agente mihi oblato: omen (atq; ut ita loquar) augurium fauſtum ſum interpretatus, & me moneri, ut doctißimi hominis ueſtigia ſequerer, exiſtimaui. Poſtremò cùm proſpiciam mihi in tuo patrocinio fore poſthac nitendum: & Deum, ac præceptores meos ita uoluiſſe: iam nunc incipiendum mihi putaui: & ſpecimen aliquod gratitudinis ſecuturæ dandum Reueren. T. C. quò benigniùs, & ſecuriùs ſolita humanitate aduenientes excipere dignaretur.

retur. Omitto quòd hoc idem ſtudium noſtrum non malè uideatur declaraturum, eiuſdem uoluntatis, fidei, & nonnullius earum rerum conatus, quarum tua R. C. ſi quis alius laude extat cumulatiſsima: & de fructu, quem M. Eccleſia huic, hoc eſt, ex Hildiuuini êditione capiet tempus eſt diſſeramus, quod ſecundo loco explicandum propoſuimus. Igitur tametſi Hildiuuini opuſcula peculiarem nullam obtinerent, mererenturq; commendationem (ut demererentur ſanè ceu mox uidebimus maximam) attamen quòd nihil hactenus apparuerit in tam multis diuerſorum ſcriptorum apologijs æquè firmum, ſolidum, & efficax, ad Dionyſium Areopagitam, & ſuos libros uindicandum ab iniurijs obtrectatorum, & uitilitigatorum: nihil ad eadem ſcripta intelligenda accommodatius, & fructuoſius: ſatis, ſuperq; euulgatio iſta promitteret parenti, & Romanæ Eccleſiæ emolumentorum. At nunc primùm de proprijs diſpiciamus commodis orationum harum Hildiuuini: mox de uſu, quem Dionyſius nunc demùm orthodoxiæ præbebit hunc ad modum adſertus, & priſtinæ gloriæ, & exiſtimationi reſtitutus apud omnes, quibus quicquam reliquum eſt ſanitatis, & non penitùs pertinaciæ ſe deuouerunt conſideraturi. Ergo poterat quidem Hildiuuinus noſter à natiua, & minimè adfectata facundia prædicari, quæ neceſsitudine mirabili eruditionem, & rerum copiam ſequitur: uerùm quia uereor

De fructu operũ Hildiuuini.

Laus Hildiuuini.

reor ipſimet aduerſari ταπεινολογοῦντι: & dicenti ſe imperitum quidem eſſe ſermone, non tamen ſcientia: idcirco labori illi ſuperſedebo. Alioquin ſimplicitatem illam, & uſum interdum uocum parum Ciceronianarum (quoniam ferè eloquentiā hac una re metimur hodie) & naturalium ornamentorum negligentiam in tanta properatione, & feſtinatione, & urgente Imperialis Maieſtatis exactione (quam ipſe, & quantam teſtatur in præfatione) crediderim & Vallis, & Longolijs, ac Doletis cenſoribus ueniam, ne dicam laudem promerituram. Certè ſuauißimæ periodi, & antitheſes argutißimæ, & numeroſi ambitus, & membra, inciſaq́; ſuis locis ſubitò, & temerè quaſi effuſa: facilè docent quid ſcriptor iſte potuiſſet, ſi uel libuiſſet, uel uacauiſſet eloquentia rem dignißimā proſequi. Iam de ὁμοιοτελεύτοις, & rithmicis clauſulis non erat ſanè, cur pro eo multum deprecaremur inuidiam. Hæc enim ipſa, quæ ingratis, & inuitè humilitatem doctißimi ſcriptoris perſequebantur, & ſpontè ſeſe quaſi ingeſſerunt: eloquentiæ ſuæ fuerint certißima teſtimonia. Cùm enim ſophiſtæ, & ij, qui linguæ poliendæ, auriumq́; oblectamento ſeculum totum impendunt, uix multò ſtudio queant efficere, ut iſtiuſmodi ornamenta orationi ſuæ adlegantur: quis non intelligit, quàm diſertus hic auctor fuerit futurus: ſi dignatus foret uires eloquentiæ ſuæ intendere, uel certè hæc tumultuariè flagitanti

tanti

tanti Regi Pientiß. atq; Augustiß. concessa, posteriore cura, & emendatione expolire? Quanquàm eius ego sim stomachi, & opinionis (quàm bonæ, et rectæ, uiderint alij) ut picturatio, & Rhetoricatio M. Syngeli multò minùs trahat, ac moueat animum meum, non tantùm à facundißimo conuersa interprete: uerùm etiam in ipso fonte, & Græco stylo: quàm simplicitas hæc, & (ut Ciceronianis nonnullis fortaßis uidebitur) barbaries Hildiuuini: tametsi pura, & Latina oratio me, si quē alium supra modum adficiat. Quemadmodum nanq; Hippolyti, aut potiùs Iosephi alicuius inculta, & incuria facies, plus gratiæ, & amoris cieat apud non omninò stupidos, & dementes arbitros, quàm Phædræ, aut alterius Aegyptiæ mœchæ pigmentata, fucata, & stibiata frons cum genis, auriculæ, & colla gemmata, & torquibus onerata, comæ mille modis infectæ, retinctæ, diuexatæ: deniq; reliquum corpus innumerabilibus tormentis, & uinculis pressum, ac deformatum: ita meo iudicio ista genuina, & minimè adscititia uenustas, operositatē omnē, & adfectationem longißimè in oblectando post se relinquit. Sed alijs fortaßis aliud uidebitur: quare & elegantiarum considerationem faciamus missam. Cæterùm cùm Hilduuinus omnia, quæ in encomio, seu postremo trium horum sermone tradit, à Græco cōuerterit, & totum Metrodori martyriū cum bona parte operum Dionysij, & quibusdam alijs referat: næ

ipse

ipse plus interpretaturis Theologos, & Philosophos quoq; contulit, quàm F. Chirius cogitantibus transferre Rhetores: licèt hoc nomine eum doctissimus uir, & harum rerum optimus iudex quidam præcipuè commendandum esse sibi putauerit. Nam & plura hic noster uertit, quàm Fortunatianus, qui uocabulis, & artis dicendi nominibus (ut ille loquitur) nominum penè contentus est, & tanta gratia, ingenio, prudentia, dispositione, temperamento: ut neq; antiquam illam Ciceronis, Ruffiniq; licentiam aliena pro eo, ac liberet interpolandi, mutilandiq; usurpauerit: neq; recentiorem meticulositatem, & uerbi è uerbo translationem obscurè, & inamœnè lectori latino obtruserit. Id quod illi quo de modò egi Critico in miscellaneis suis placet uehementer, & disertè in R. Agricola, tanquàm primas meritũ coronat, & celebrat. His accedit quòd ea quæstio, & de Græca pronuntiatione contentio, quæ pridẽ etiam confessorem illum clarißimum B. Stephanum VVintoniensis Ecclesiæ episcopum, & ad extremũ regni totius Cancellarium inuoluerit, & in medijs religionis tumultibus in arenam deuocauerit, atque ita non minimi esse momenti uideri debet, necdum tamen satis excussa, aut definita: ex opusculis his hominis uetustißimi, & peritißimi, & minimè omniũ (ut mox ostensuri sumus) corrupti, & deprauati liquidißimè decerni, decidiq; plenißimè, & fidelißimè ualeat. Siquidẽ Dionysij Græca uerba creberri-

mè Latinis expreſſa literis, & elementis proponit: unde uocalium & non paucarum etiam conſonantium, priſcus, & ſincerus ſonus cognoſci certiſsimè queat. Certè peritia hominis, familiaritas cũ antiquis, & doctiſsimis legatis Imperat. Michaëlis, & ſtudiũ ſingulare in antiquitatibus prodendis, et addiſcendis (quod libri hi ubiq; præ ſe ferunt) accedēte autographi notiſsimi fide, mihi perſuadet (alia prætereo, & ſtudioſis relinquo indaganda, tametſi paſsim in marginibus à nobis annotata cernãtur facilè) η non aliter ante octingentos annos, aut unquã olim, quàm nunc, aut pridem, id eſt, minimo ſoni diſcrimine ab iota fuiſſe pronunciatum. Nihil iam dico de uarijs hiſtorijs, de ijs, qui paſsim obiter admiſcentur, antiquis ritibus, moribus, legibus, quæ ex autographo ipſiſsimo obſeruationes, regulæ, præceptiones Grammaticæ Latinæ etiam uel refelluntur, uel confirmantur tam in orthographia, quàm recta pronuntiatione, & cæteris rebus eôdẽ facientibus. Talia ſunt Aeolicum digamma, paſsim in loco adſpirationis uocalibus incubãs, F. & ph. pronunciatio, compoſitarum dictionum diſtinctio, & postremò accentus paſsim in Latinis ſyllabis adſcripti, & cætera plurima, quæ nos diligenter in margine notauimus, & religiosè retinuimus. Nam licèt ipſe Hilduuinus ea tunc ſibi duxerit excuſanda: attamen nobis in autographo ipſius conſeruata nunc ſunt utiliſsima, & bonarum literarum ſtudioſis haud

dubiè

dubiè omnibus gratißima. Accedit his encomiastici generis perfectißimum exemplar, quod pij, & philologi omnes cum summa sua laude imitentur ubique: quod utinam nobis cernere licuisset, antequàm Cl. VVillibrordum nostrum conficeremus: non enim pudet profiteri, futurum fuisse proculdubio, ut minùs inelegans, & inconcinnus exiret. Verùm offendent fortaßis Grammatica hæc, (ut censent uulgò) Theologos lectores, quasi nihil ad se pertinentia, & friuola: & grauiora commoda Theologorum propria à nobis proferri postulabunt. Agè ergo meminerimus, & circumspiciamus diligenter quid in Ecclesia hodiè odiosè exagitetur ab hominum imperitißimis: uideamus attentis mentibus, quæ religionis capita grauißimè, & ubique ab uniuersis impugnentur: obseruemus qua in re fæx laica sibi maximè placeat, & non uereatur quendam adornare triumphum: quod cùm deprehendemus positum esse, & latere in sanctorum spirituum explosione, & ἁγιομαχίᾳ, in rogatione, deprecatione, nostri charitate, & memoria, Sanctarum reliquiarum, imaginum, locorum ueneratione, & orthodoxo usu impetendis, & exibilandis, nihil autem hæc omnia ita illustret, uindicet, antiqua, & Apostolica asserat, atq; hæc Hilduuini scripta: quis neget uberem hinc promanaturam esse ad pios omnes messem? Quis autem omnium tam disertè, & fortiter, excepto fortaßis

De utilitate Theologorũ propria ex Hil duuino capienda.

uno Dionysio (unde uidetur suxisse ea) beatitudinē animorum feliciter hinc emigrantium, & corpore exutorum citra maculæ residuæ remoras adseruit: atque hic Hildiuuinus facit, & antiquus credidit Theologus? Quis eorundem perspicacitatem, & quamlibet intelligentiam adeò demonstrauit perspicuè: atq; hic Dionysio suo non dubitauit illa attribuere? Quis sanctorum martyrum plus est uenera-tus merita: aut sublimiùs eadem, rectiusq; confirmauit? Quis opem, & præsentißimum auxilium fidelibus retulit, magis extulit, euidentiusq; adstruxit? Deniq; quid hactenus de sacris peregrinationibus, & ui, & cultu orthodoxo, & uario beatificarum reliquiarum, êditum, conscriptúmue extat: quod parem lucem, & gloriam adferat, his rebus: cum epistola Imperatori Chludouuico pio inscripta, et extremo Diony. ipsius Hildiuuini elogio, seu martyrio? Sed nolo de his agere pluribus, quòd in panegyricis nostris Beato Cle. VVillibrordo dictis fusiùs eadem sint disputata à nobis, quorum ueluti Colophon, et proœmium compendiosum auctor hic præcedit, antè nùnquam uisus, aut (quod sciam equidē) auditus. Adde huc quòd eos auctores nobis conseruauerit, quorum nunc quidē exoptamus catholici omnes lucubrationes: absq; his tamē scriptis si fuisset, ne nomina quidem unquam nouissemus: in ijs Visbij coæui Dionysio Areopagitæ historici, & fortaßis oculati testis commentarius, & Chronica cum Epi-

stola

ſtola Ariſtarchi Hiſtorici Græci ad Oneſiphorum Pinnicerium de ſitu Athenarum, & quædam fragmenta alia non minoris momenti paßim adſperſa, & compendio producta. Ad extremum eos agones, & conciones Macarij Dionyſij (ſic enim Hildiuuinus ſingulariter, & hoc quoq; uult cum uocatum Chriſtianè, ſuprà nomen Areopagitæ) & ſociorum refert, quæ nuſquam alibi inueniantur, quorumq; ne mentio quidē uſquā ſit in Græcis, quæ in manibus ſunt: quæ tamen ita confirmat antè etiam ex Latinis, ut planè dubitare ſit nefas, magnū fuiſſet detrimentum, ſi eccleſiam contigiſſet ea diutius latere. Quis enim alius adſertorū Areopagitæ uetuſtorum etiam, mētionem ullam uſquam habet tot flagellationum, aſſationis, aliorum tormentorum, retruſionum in carcerem: quis quæ anteceſſerunt plurima, tam in docendo, quàm in decertando, quæue inſecuta ſunt, commemorat? Verùm iam ſequitur, ut uideamus quid Macario Dionyſio Areopagitæ Hildiuuinus noſter præſtiterit: & quantò plus ornamenti, & ſolidæ adſertionis attulerit, quā alij recentes, & ueteres defenſores. Quàmuis enim nō pauci negotium Eccleſiæ conati ſint agere, in conſeruando, & retinendo hoc auctore Catholicæ Eccleſiæ neceſſario: attamen ſcrupulos plurimos reliquerunt: qui homines minimè malos, & non nimis curioſos etiam poterant ſuſpenſos tenere, & abducere à ueritate huius perſuaſionis. Nā cùm res tota

Quantum cōferat ad Dio. Areopag. opera, legendum Hildiuuini ſcriptum.

niti uideatur auctoritate historiæ: testimonia, quæ hactenus prolata sunt, partim fuerunt potiùs nominata, quàm producta: partim adeò recentia, aut (quod uerius est) tam parum antiqua, ut nequiuerint satisfacere non stultis, & haud impiè alioquin non persuasis. Vnde factum uidemus, ut tam uarijs apologijs, & cæterorum auctorum ueterum êditione, hactenus adeò parum profectum sit: ut indies magis animati uideri queant tam imbecilla defensione, qui uel in reliquis orthodoxi, uel hæretici penitùs scriptori modis omnibus uenerando fuerunt aduersati. Non est huius loci referre, per quas Caluinus pridem hunc auctorem sacrosanctum petiuerit calumnias: dum ei aduersus sacras reliquias foret instituta disputatio: præsertim cùm talia sint, quæ Hildiuuinus noster ante tot annorum centenarios refellerit, & conficta meritò uideantur ab ijs, qui auctorem nunquam aut inspexerunt, aut certè diligenter cognouerunt. Nullo enim pacto mihi puto committendum, ut benè, & optimè, olim ab illo inuenta, & exposita succidanea nos deprauemus, aut eleuemus sanè replicatiõe. Cæterùm paucis ab hinc annis. 1556. ex indifferente prorsus, & mirè adiaphoristica officina cuiusdam unà cum S. Sulpitij sacra historia prodijt in uulgus perfidiosa, & pestilens appendix (cuius artificis typographine ipsius, ut sonat præfatiuncula calci historiæ adiecta, an uerò alterius cuiuspiam malè sibi conscij M. F.

qui præfatur ἀνώνυμος non ausim definire,) quæ (quandoquidem auctoris est nullius certi) cum multorum turbatione, & ipsis Dionysij uerbis conatur infideliter tamen, & impudenter Dionysium Areopagitam explodere. Neque enim dubitauit adfirmare Dionysium Areopagitam nostrum citare (nimirum 5. cap. lib. de Diuinis nominibus) Clementem Alexandrinum ex 8. Stromatum: cùm (testor Deum, cuius beneficio utrunque Græcum nempe, & Latinum exemplar habeo, & legere, atque intelligere possum, & non semel perlegere sum minimè grauatus audaciæ huius conuincendæ causa) ne semel quidem uox ulla earum, quas Dionysius citat in Græco eo libro habeatur, quem impostor iste allegat 8. Stromatum: neque etiam Latino à Gentiano Herueto conuerso, & mecum à doctis multis eam ob rem relecto. Nam sermonis Græci non sat peritum eum arguit, usus uersionis eloquentis quidem, & fidi interpretis, hominis tamen (ut noctua ipsa cæteroquin fortaßis garrula mußitet) papistici, & parum amici istorum Sacramentariæ ingratitudini, & tremendorum mysteriorum Missæ odio: itaque ex sincera catholici uiri translatione commentum suum confinxisse, non autem ex fonte Græco fabricatum esse, uerisimilius est. Impostura autem hæc non est (ut liquet) ἀσυστάτη duntaxat: uerùm etiam

ex ueterum commentarijs, & tralationibus refellitur: qui Clementem Romanum P. M. nulla non disciplina Cyclica instructum concorditer intelligunt. Nam & Anastasius Romanæ bibliothecæ, Imperatore Carolo Magno, præfectus, in uersione sua nominatim D. Clementē interpretatur: quē Antonius Abbas Vercellensis, & Dionysius Ricelus: ille in paraphrasi, hic in commentario sequuntur. Horum autem opinio probabiliórne sit, an ea, quæ est nostri auctoris, equidem hoc tempore contentiosè nolo definire: interim D. Tho. Aquinatem hominem sententiæ adductæ maximè gnarum comprobauisse, & secutum nostri Hilduini iudicium, commentarius suus non semel euulgatus est fidelißimus testis. Neq; puto quenquā dissensurū, qui aduertat quàm ethnicè, & Platonicè sonet illa: quàm parum reuerenter auctorem eius citet: & contrà, quanto in honore Clementem pontificem habuerit M. Dionysius, ut Metrodorus cum Hilduino fidelißimè testatur: & quàm aliena opinio huiusmodi sit à Christiano, & quidem Pontifice Maximo. Nam antè nihil scripsisse Clementem historia uitæ suæ satis declarat. Vtcunq; autem hoc alijs uideatur, mihi equidem iam inde à prima loci huius lectione (fateor) semper perquàm absurdum est uisum: neq; unquam in doctißimo, & beatißimo Clemente Alexandrino (tametsi multa eius opera interciderint) stultitiā dicti illius hærere, persuadere mihi potuero. Pos-

ſem hunc ad modum in reliquis defenſionis Areopagiticæ partibus inire comparationem: & oſtendere, quantò hoc opus hactenus omnibus emiſsis à Catholicis diuerſis præcellat, & præſtet: uerùm quia non ſolùm odioſum fuerit, & parum gratum, & pium in eos queat uideri, qui quod poſſunt hac in parte Eccleſiæ impetitæ undiq; præſtiterunt: idcirco ei operæ parcam: & tantùm modò rationem ducam ſcriptorum, & teſtiũ, quos noſter hic, quóſque alij omnes pro ſe quiſq; adduxerunt. Enimuerò à cæteris undiq; aduocati auctores ueteres partim huius epiſcopatus Athenienſis: partim uxoris, & nobilitatis, atq; eruditionis duntaxat: partim denique fuerunt ſcriptorũ ab ipſo non immemores, ſed id tamen uel ex aliena ſententia, uel ambiguo epitheto, uel deniq; ut non obſcurè dubitationem ſuam innuerent, fecerunt: & ita plus penè incommodauerunt, quàm confirmauerunt. Atqui qui cætera omnia perſequeretur, qui in Galliã à Clemente Areopagitam legatum ſuffecto in Eccleſiam Athenienſem ſucceſſore epiſcopo referrẽt: qui cum ſocijs necem glorioſiſsimã adijſſe poſt ſumma pericula, certamina, & euangeliſmi ſudores exhauſtos diutiſsimè: poſtremò qui qua ratione poſt Galliæ, & Germaniæ magnam partem Chriſto initiatam ſignis, et prodigijs incredibilibus fidei primordia auxerit, et in beatitudinem ſummam adſeruerit: excepto martyrio illo auctoris incerti, hactenus nemo eſt inuen-

Cõparatio teſtium ab Hildiuuino & alijs citatorum.

tus historicus. Noster autem hic pater abundantissimè omnium. Nam & martyrion uendicat, confirmat, & genuinam nobis, incorruptamq; suam uersionem legauit, & alios duos auctores uetustissimos antehac inauditos conseruauit. Illorum autem fidei, & traditioni neminem puto nõ adsensurum facillimè. Nam Visbius ex testimonio Hildiuuini, qui eum nobis quasi regenuit, alioquin amissum, & frustrà optatum: nõ solùm sua ætate miraculosè est repertus Parisijs, post diuturnam occultationem: sed oculatus prætereà testis ad agones conscribendos Dionysij, & sociorum martyrum, fortaßis postquam defunctus tandem uita Palatina, reuersus esset in patriam: unde à parentum Lisbij, & Larciæ martyrijs ob generis, & indolis nobilitatem erat à Sisinnio Fescennino ad Traianum abductus, in cuius & duorum proximè insequentium Cæsarum familia, & comitatu uixit, donec B. Masso Parisiensis Ecclesiæ Pontifice tertio post Archiepiscopum Dionysium regenerandus, & mũdo penitùs renunciaturus in patriam est redire permissus. Siquidem hunc idoneum testem, & historiographum extitisse pugnæ supremæ parentum, & eorum regeneratoris liquet, uel inde clarißimè, quòd in Palatio militaturus Romam transmigrauerit. Et Hildiuuinus prætereà testatur conscriptionem Visbij fuisse cæteris monumentis certioris fidei, & rerum Apostolicarum, seu in εὐαγγελισμῷ gestarum plenioris narra-

Visbius ab Hildiuuino citatus, & conuersus quis qualisq; historicus.

narrationis: atq; ideo inde missales libros, seu hymnos sequentiales crediderim (ut sic loquar) potissimùm desumptos, quos libros esse antiquissimos, & ab ipso martyre compositos initiò, illiq; Visbij historiæ maximè adstipulari horum librorum testimonia adfirmat ipse Hildiuuinus, & è scriptis oculatorum testium, seu uiuorum spectatorum Dion. Rustici, Eleutherij, & cæterorum conflictuum proculdubiò contendit esse cōfectos, ac mutuatos. Quæ res quantam omnium mereatur assensionem quiuis à sese facilè conijcit: & meo iudicio libri illi non minorem fidem ipsi Visbio uicissim tribuunt, quàm is illis, aut nunc si extarēt, aut tunc quàmdiu supererant: non ob uetustatem solā, quam deprædicat tamen Hildiuuinus, uerùm etiam quòd tam recente memoria à tota Parisina Ecclesia recepti, solenniterq; usu, & reipsa tanquā certissimi sunt comprobati. Mitto Eugenij Toletani Pontificis, & Fortunati presbyteri elogia, et hymnodias per oīa his cōsentaneas: itaq; his quodā modo etiā ab interitu uindicatos. Nā licèt uerba nobis desint, attamē mentē, & ueritatē historiæ nos scire credimus. Quanquā uix dubitē, quin ibi hæc omnia, & cætera, quæ Chludouuicus Augustus ab Hildiuuino petit, delitescant: unde eruta nō sine numine hæc in publicum damus. Deinde alter ab Hildiuuino adscitus, & ab ultima internecione redemptus custodia, relationeq; eius aduocatus est Aristarchus Græcus historicus, et qdē

Aristarch. chronographus Græcus quis, & qualis scriptor.

Christia-

Christianus, cuius licèt ne nomen quidem supersit nobis alioquin, nisi quantum nostri opusculi prouidentia factum est, & neq; Suidas, neq; bibliothecæ ullæ meminerint: attamen quale, & quàm graue, & irrefragabile pondus fuerit adlaturus: ac nunc etiam mereantur eius apud Hilduuinum reliquiæ, facundißimum præconium hic epistola ad Chludouuicum Augustum expositum satis, superq; cõtestatur. Quòd si autem diuinare fas sit, & in Aristarchi nomine peccatum scribæ agnoscatur, & absurdum non uideatur ex Aristide factum Aristarchũ: & auctor, & is, cui liber dicatus fuit, non erunt ignobiles, aut obscuri. Mutationis suspicionem facit S. Ado Treuerensis Pontifex in suo Dionysio annũ martyrij, & quædam alia ex Aristide confirmans. Cùm autem S. Aristide eloquentißimo, & antiquissimo confessore, & Christiano apud Hadrianũ Cæsarem oratore uixisse Onesiphorum quendam, uirũ scripturarum studiosißimum, & probata fide: testatur Xanthopulus Nicephorus: ad quem B. Meli-
Li.3.c.21. & 26. to Pontifex Sardianus ἐκλογὰς scripturarum scripserit, & cum honorificentißima mentione inscripserit: cui Aristides fuit coæuus, & ita etiam epistolam, & Chronica sua illi non immeritò uideri possit dedicauisse: quemadmodum ambo Imperatori illi Helio Hadriano apologias pro Christianis obtulisse sciuntur. Quanquam nec hoc ineptè dici uidetur posse (tametsi mihi prius appareat uerius) Ari-

ſtarchum alterum eſſe ab Ariſtide, & æqualẽ fuiſſe eorum duorum, eodemq́; tempore uixiſſe, atq; ideò mirum non eſſe ad eoſdẽ literas dediſſe, & ſcripta alia miſiſſe. Quæ uerò, & quanta de Ariſtide prædicet Hieronymus: è libro frequentiſsimo, & utiliſsimo de uiris illuſtribus eius, ſtudioſis licet cognoſcere. Neq; uerò parua eſt Hildiuuini laborum utilitas iſta, quam modò perſtrinximus breuiter in efficaci, & firma adſertione Areopagitæ poſitam: quanquam non dubitem ſtudioſis ſapientioribus, et doctis alteram eiuſdem huius operis commoditatẽ magis optatam, & gratam fore, quæ in enarratione, & obſcuritatum Dionyſij declaratione ſpectatur. Nam ſi quis diligenter, & cum iudicio Hildiuuini hos libros perlegat, atq; adhibeat ſimul ipſum Areopagitã: næ is, ſi quod res eſt iudicare uelit, plus adiuuari ſe eſt confeſſurus à nuda narratione, & relatione encomij, & apologiæ iſtius: quàm prolixiſsimis quorundam gloſſematis, & theorijs, ſeu ſpeculationibus etiam Græcorum. Nam cùm nõ ſingulorum modò librorum, & epiſtolarum: ſed capitum quoq; ſummas, & compendia doctiſsima in Encomio proponat: præterea uſum, et ſcopum indicet: idq́; penè uerbis Dionyſij retentis, ac paraphraſi, aut ſimili luce illuſtratis: profectò improbiſsimus ſit neceſſe eſt, qui hanc tantam utilitatem non agnoſcat: cæcus, qui uidere nequeat, aut nolit. Quid? quòd loca uniuerſorum ſcriptorum eorundem obſcuriſsima

Vtilitas Hildiuuini in interpretando paſſim Dionyſium.

ſcuriſsima (quod alioquin permultum eſt, & eſſet) à Græco non uertat tantùm, ſed etiam contrà quàm primis interpretibus Scoto, & Saraceno eſt uiſum, illuſtret interpretationem ſuam, & cum uerſione non importunum miro artificio interſerat commentarium? Poſſem, & percupiam fidem huius rei apud lectores omnes plurimis exemplis operosè magis, quàm neceſſariè facere: uerùm ne dicar præfatione mea opus mihi doctiſsimi Abbatis uoluiſſe dolosè uendicare, néue etiam dedicatio munus ipſum dicatur excedere, contentus eo teſtimonio, quod dudum ex quinti libri de diuinis nominibus capite de nomine Clementis philoſophi adtulimus, unicum inſuper proferam, & cætera ex auctore ipſo inquirenda relinquam. Ergo libri eiuſdem de diuinis nominibus cap. 3. ferè medio hæc habentur uerba: Επεὶ καὶ παρ' αὐτοῖς τοῖς θεολήπτοις ἡμῶν ἱεράρχαις ἡνίκα καὶ ἡμεῖς ὡς οἶσθα, καὶ αὐτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ, καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν, &c. quæ uerba non uulgus tantùm interpretum Latinorum, uerùm & Græcorum antiquorum non pauci de conuentu ad exequias, & ſpectaculum corpuſculi D. Virginis, & illibatiſsimæ Deiparæ conſummatæ, & uita defunctæ, accipiunt, & ſine ſcrupulo exponunt: in ijs ſunt Iuuenalis epiſcopus, & M. Syngelus presbyter Hieroſolymitanus in encomio, Nicephorus Calliſtus libro ſecundo, cap.

Vtrū Dionyſius reuerà adfuerit D. Virgini morienti.

capite uigesimo secundo, & tertio, & B. Maximus Abbas in scholiorum præfatione, & alij hos secuti: atqui Ioannes Scotus, primus ferè (nisi quòd Anastasius quorundam Dionysij adhuc antè translatorum epistola ad Carolum magnum meminerit) Dionysiacorum librorum interpres, non tantùm in uersione ipsa duorum adiectiuorum cohærentium alterum ad CHRISTVM, alterum ad corpus eius per hyperbaton insigne refert: itaque Aquinatem perplexum reddit in utram, illámne, an hanc concedat opinionem: uerùm etiam in præfatione solenni, qua præstantißimo Imperatori suam operam, & studium dedicat, adserit Dionysium Christum post resurrectionem corporaliter (sic enim loquitur) cum multis alijs sanctis in unum conuenientibus uidisse: quasi uidelicet res ea triduo sepulturæ, uel etiam πεντεκοστῆς interuallo contigerit: cùm certo sit certius tum Paulum necdum conuersum, qui anno sequente demùm, uel secundum alios anno inde septimo Christianismo fuit initiatus: & postea non pauco tempore Dionysium Athenis lucrifecerit Christo. Quid uerò (inquias) in salebris his tuis Hildiuuinus? Quanquam hic quidem locus malè intellectus plurimum, non auctori tantùm incommodare queat, sed fidei quoque: attamen Hildiuuini eruditio facilè utrunque malum, & periculum auertit, & propulsat: his sanè uerbis, in quo (cap. 3. scilicet) ostendit se apud

sanctam

ſanctam ciuitatem penes ſepulchrum Ieſu uitæ Principis diſputationem audiſſe, &c. quibus quidẽ Hildiuuini uerbis ſit ne ſubindicata uera loci intelligẽtia, & ánne ſit etymologia prodita nominis Ieruſalem Græcis Dionyſij his: ἡ θεὰ τοῦ ζωαρχικοῦ, καὶ θεοδόχου σώματος, propter dominicum ſepulchrũ ibi ſitum: an uerò potiùs pro τὴν θεὰν, τὴν θήκην (quod ſepulchrum propriè ualet, & corporis dictioni admodum quadret: tametſi ueteres uerſiones lectioni illi magis faueant) legerit Hildiuuinus, cui emendatiſſimum exemplar fuiſſe ſuppeditatum, & ſimul incredibilis antiquitatis ab Imperatore Michaële conſtat, eruditorum eſto iudicium: illud in confeſſo eſt de ſepulchro Domini uitæ, omnis unici fontis, quod ipſum illum Deum, & hominem uerè etiam excepit, & continuit, non de corpore ab animo adorando deſtituto, aut de corpuſculo uirgineo Hildiuuinum intellexiſſe, neq; cuiquam docto, & ſano eſſe intelligendum uideri debere. Porrò licèt alij non incommodè fortaſſis ſint iſta intellecturi de conuentu ad ſepulchrum ipſum ſubdiali: ibidẽq; conſeſſu Apoſtolico: attamen rectiùs exiſtimo de ædibus Ioannis Euangeliſtæ accipi poſſe, in quas recepiſſe dicitur B. uirginem ſtatim à commendatione filij ſui morituri: in quibusq; D. Euodij φῶς ſeu lumen tradit ferè geſta, quæ foris diſcipulis nõ contigiſſe narrantur, haud procul inde ad Sionẽ diſtantibus. Quando autem id acciderit, ne coniectura quidem

Ioan. 19.
Nicep. lib. 2. cap. 3.

quidem nos adiuuat Hildiuuinus, nedum quisquam alius: mihi equidem tantisper de eo uidebitur accipiendum tempore, quo Paulus secundo ad Galatas secundum reuelationem assumpto, & Tito se ascendisse Ierosolymam refert: & aliquamdiu ibidem commoratos eos, contulisse cum Iacobo, Petro, & Ioanne, & cæteris testatur: dum quis aliunde existet, qui probabiliora inuenisse se probet. Nam Chrysostomus cum Græcis fauente tota epistolæ eius narratione tradit, quin immo & probat etiam contra Bedæ opinionem, nequaquam intelligendum Apostolum eo loci de profectione ob contentionem Antiochenam, cum Iudaizantibus (ut 15. Actor. commemorat B.Lucas) institutа: Hieronymus non tam sequitur id, quod post Beda amplexus est, quàm recitet ἀδήλως, itaque non esse probabile iure credidisse uideatur. Postremò Epiphanius in Cerintho putat eo euenisse tempore, quo à Iudæis captus, mulctatusq; fuerit, ac Rom. tandem traditus Imperat. uerùm quî cohæreat sententia ista cum eo, quod cap. illud secundum habet, et iterum post annos 14. secundum reuelationẽ ascendi &c. uiderint laudatissimi scriptoris erudītiores lectores. Ex his igitur capiant gustum, & cõiecturam, syncerae ueritatis, & orthodoxæ antiquitatis studiosi, quàm multũ conducturus sit liber hic ad genuinam, & germanam quoq; Dionysij illius Areopagitæ lectionẽ, & intelligentiam. Quæ cùm

ita ſint, tẽpus eſſe fortaſſe uideatur, ut tua R. C. ad reipublicæ ſolicitudinẽ, & magis propria τῆς ἐπισκοπῆς munia dimittamus: cæterùm cũ proſpiciam fore, ut ij, qui hactenus obiter, aut nullo modo Dionyſiũ attigerunt, ſint miraturi, nos tanti facere eius intelligentiam: neceſſum præterea uidetur, ut nonnihil de illius uſu, & neceßitate dicamus: quandoquidem & illud dudum propoſuerimus. Operum igitur Dionyſiacorum rectè opera B. Hildiuuini potiſſimum intellectorum emolumentum uel inde queat uideri, & cognoſci, quòd ex his potißimum ſcholaſtici (qui dicuntur uulgò) Doctores, homines me hercule diligentißimi, & acutißimi, & bene de repub. Chriſtiana ſuis commentationibus meriti: ſuas diſputationes, concluſiones, documenta exornauerint, & confecerint. Nam uix quicquã illi in rebus ſublimioribus concludunt, quin ex placitis, & principijs Areopagiticis deriuent: haud aliter quàm Platonici. & Ariſtotelici ſua omnia commentaria, eorum magiſtrorum ſententijs conſentanea eſſe religiosè curauerunt olim, et nonnulli etiamnum (neſcio quàm tempeſtiuè, et rectè) ſatagunt, in quorum uerba ſemel iurauerant. Neq; ſanè id illi duntaxat immeritò: ſiquidem Xantopulus tradit Nicephorus, atq; haud ſine diſertis, et pluribus ipſiuſmet Dionyſij alioquin nimis ταπεινοφρονοῦντος ſuffragijs, ac confeßionibus: Apoſtolum Paulum Hierotheo, & huic ipſi Dion. à ſe conuerſo, & tandẽ Ar-

Laus operum Dion. Areop. & quanta inde. i. ab adſertis optimè utilitas ad ſtudioſos redibit.

Lib. 2. cap. 20. f.

chie-

chiepiscopo constituto Athenien∫ium omnia arcana tertij cæli uerba, quæ alioquin nefas erat loqui, atq; effari cuiquam commisi∫∫e, ac credidi∫∫e: quæ hic in scripta retulerit, & ab Hierotheo non satis methodicè, et clarè exposita, uberius, planiusq; edisseruerit. Perspexerat id Constantinus ille, cognomine quidem Philosophus, re autem sanctißimus, & summus Theologus: dum, qui teste Anastasio, non tantùm familiarem sibi haberet auctorem hunc: sed edidicisset ad uerbum: itaque conscius foret quæ sacramenta complecteretur hoc opus: soleret dicere, & deplorare Maiorum suorum sortem, & infelicia tempora, qui præsidijs illis caruissent. Nam si (inquiebat) ad manū habuissent ij, qui Arrio, Eunomio, Nestorio, Eutycheti, & cæteris peßimi nominis anguibus occurrerunt hunc scriptorem: quos nunc fustibus uix tandem iugularunt: continuò, tanquam ense acutißimo capite trūcassent, plectissentq;. Etenim intelligebat uir sapientißimus hoc in opere ἀλεξικακὰ plurima, & amuleta conseruari, quibus pestes illæ continuò forent extinctæ, & absque ijs factum, ut uix tandem, gratia singulari, & miseratione CHRISTI sopirentur. Vnde minimè improbabiliter ij mihi sentire uidentur, qui ab hæresiarchis, & philosophis impijs opera hæc esse suppressa in tempus Chalcedonensis Synodi (nam antè memoriam extare nusquam opinor in auctoribus priùs nominatis) arbitrantr.

Lib. de diuin. Nomi. cap 3.

Epistol. ad Carolum Magnum Imperatorē

Neq; uerò illæ modò enumeratæ hæreses tantùm, ex his libris Dionysij apertè, & penitùs eliduntur: sed & priores oẽs, & posteriores quoq;, et quæ etiãnũ grassantur, aut olim erupturæ in electorum examẽ, & gloriam expectantur. Nam cùm prophetico munere præditum extitisse sat sciam Dionysiũ, testante imprimis epistola ad Ioannem Theologum data, & Pauli à Secretis, & ὑποφάντην fuisse, dudum sit ostensum: qui prouidentia gratiæ suæ testatur non semel sese usq; in ultima tempora ἐποπτεύειν, & speculari, quæ errorum portenta fuerint porrò oritura: quis precor dubitet adfirmare libros hos à Spiritusancto, & Paulo nobis relictos, tanquam tutißimum antidotum, & scutũ, quod omninò perfodi nequeat? Cæterùm si tædiosum uideatur fore, iam inde à triumpho huius martyris auditas hæreses singulatim refutare: at nostræ saltem tempestatis hæreses præcipuas ostendamus continuò euanescere, dum modò noster Hildiuuinus uendicauerit opus hoc suo Areopagitæ, & constet Apostolicum esse quicquid hîc legatur. Nam licèt primùm Lutherus, deinde ei patrocinati, & postremò Caluinus trepidante conscientia, & horrente arma Areopagitica, à quibus idcirco Catholicos omnes cum suis auocent, contendant esse hominis Platonici, obscuri, nihil Christianum, & fidei conforme sonantis, & cætera, quæ multa blaterant: attamen

De hæresibus nostræ tẽpestatis his libris refutatis.

quàm

quàm malè nobis (ut nuſquam non) & hic Syrenes iſtæ conſulant, quàm palleſcant ad nomen Areopagitæ uideamus. De libero hominis arbitrio antiqua eſt hæreſis, à Luthero non ita pridem reſuſcitata, & reſipiſcentia nonnulla, ac timiditate Philippi Melanchthonis prudenter, & diſsimulanter aliquandiu eliminata, & nunc iterum multò peſtilentiùs, & inſaniùs à Caluino in orbem reuocata: quæ tamen ita à noſtro diſcutitur Areopagita lib. de diuinis nominibus cap. 4. & alibi: item epiſtola ad Demophilum, & E. H. cap. 2. & 3. ut ne Caluinum quidem, quantùmuis præfractum habiturum, quod reſpõdeat, ſi noſter Hildiuuinus ὑπερασπισάμενος ei obijciat, exiſtimem. Certè ijſdem his locis, & capitibus quibuſdam alijs lib. de Diui. Nominib. ut ſexto et nono, itẽ Cæleſtis Hierar. cap. quoq; nono, ita clarè, & ſolidè tradit prædeſtinationem, & reprobationem nullam uim, aut neceſsitudinem adferre arbitrij noſtri libertati, ut ſciolis quibuſdam penè nimius ea in re uideri poſsit. Hinc eam, quæ de Eccleſiaſtica Hierarchia extat controuerſiam epiſtola eadem, & cum toto libro de E.H. propterea etiam inſcripto, tum quintum cap. eius potiſsimum, ita aperit, & definit, ut nihil mihi addi poſſe uideatur. Quin & indidem ordinis, ſeu Hierarchiæ ſacramentum adſerit, & tuetur contra noſtros Demophitos, & Nouatianos: ut haud quaquã exomologeſeos, & ſacerdotij, & cæterorũ

eius ordinis numerum sacrorum adsertionem aliunde aliã requirere debeamus. Atqui prærogatiuã Petri, si non uideatur satis cuipiam probare, dum non semel κορυφὴν τῶν ἀποςόλων, ἢ ἱεράρχων, & uix aliter nuncupare soleat: at facto suo ab Hildiuuino, Metrodoro, Syngelo, & cæteris uetustioribus exposito, & certæ fidei reddito, nihil ad maiorẽ fecit confirmationem reliquũ. Nam testantur illi non ueneratum solùm sedẽ illam, & successorem Clementem usq; ad pedũ oscula (rumpantur licèt maleuolorũ ilia) uerum etiã haud antè ausum Euangelismõ Galliarũ, & Germaniæ attentare, quã data sibi foret potestas à filio Petri sanctiß. Clemente, & de munere à Petro ei legato nonnihil esset participatum. Quid dicam de peccato, quod uulgò dicimus originale? An in defensione, & Apostolicæ traditionis relatione non satis ostendit infantes labem trahere antiquam, & nihil insanius furore eorum, qui græca dictione, quàm latina retincti, aut demersores, appellari malunt anabaptistæ? Quid enim Apostoli possunt cogitari, dici'ue instituisse à sanis duntaxat, quod stultum, malum, & inutile, immo contra Christi fuerit institutionem? Fidem, & opera cùm ubique, tum extremo 2. cap. E. H. tam eloquenter, & Apostolicè adserit, ut demirer quem posse contrà uel hiscere. Adde quòd etiam in defunctis iam certamine fidei, extremo capite eius libri, id est, septimo agnoscat simul, & prædicet

Lib. de Diui. Nomi. cap. 3.

præmia,

præmia, & coronas. De Baptiſmo, & Confirmatione quid neceſſe eſt quicquam dicam? cùm hæc duo ſacramenta, quæ nefas eſt uiſum M. N. ſeparare maximè in adultis 2. E. H. totum caput ſibi uendicent? Quid enim præter ea poßit de illorum myſteriorū inſtitutione, ui, ſignificatione, & cæteris id genus ceremonijs dici à quoquam, quæ copioſißimè ibidē profert, & tradit Dionyſius Areopagita? Quid de Euchariſtia, miſſæ ſacrificio, transformatione panis, & uini in corpus Chriſti & ſanguinem, adoratione, et cæteris requiras, præter ea, quæ idem cō teſtata facit Dionyſius Areopagita? Quid? matrimonij, & ſacramenti extremæ unctionis, non meminit? Eſto: eius reddetur à nobis alibi contra ſciolos ratio: neque profeſſus erat ſe eo in libro omnia ſacramenta expoſiturum: ſed tria tantùm, et de tribus Hierarchiam Eccleſiaſticam prædicaturum, ut eſſet cum ordinibus ſacris, & laicorum gradibus numeri æqualitas: & hæc, hoc eſt, præterita accurata explanatione, ſummæ non eſſe neceßitatis neque facere æquè ad augendam eam, qua præditus quis ſit perfectionem, & gratiam: ſed ægris, & lapſis propriè ſeruire: neque fuiſſe opportunum illo quaſi uirginitatis flore, coniugium multum prædicare, nulli non conſtat. Nam quis uota monaſtica, ad quæ tum homines omnes exemplo Apoſtolorum, & perſecutionum fluctibus

Ratio præteritorum quorūdam Sacramēto rum in E. H. à Dion.

Vide Damaſc. cap. 25. extr. lib. 4. De Orth. Fid.

ſuadentibus accedebant ampliore, et diuiniore perſecutus eſt ſtylo? Quis ijs traditionibus certò Apoſtolicis lectis, auſit adhuc ſuæ patrocinari perfidiæ, & diuina monaſtices inſtituta, & ſacroſancta myſteria contumelijs, maledictisq; proſcindere? Porrò quantum attinet ad humanas, quas hæretici calumniantur conſtitutiones de feſtis, quadrageſima, ieiunijs, certorum eduliorum uſu, & id genus hierarchicis decretis, & eccleſiaſticis conſuetudinibus primum, & quintum, & ſextum Eccleſiaſt. Hierarch. caput, & epiſtola ad Demophilum ſcripta non quidem ſigillatim, & nominatim fortaſſe has res adſerunt: uerùm quod amplius eſt, & doctorum omniū opinione optabilius, quicquid imperiti, & malè ſani contrà delirant, principia, et rationes ſuppeditant, quibus inſtructi, & adiuti omnia, quæcunq; Hierarchis, ſeu pontificibus conſtituta quondam (nunc paulatim antiquantur) aut olim lege lata ferentur, adſerere aduerſos ſeditioſos errones poterimus. Ad poſtremum ſacrarū uſum imaginū in templis, reliquiarum adorandarum uenerationē, et frequentationē, rogationē, hoc eſt, interpellationē cælitum, & deprecationē pro nobis beatorū angelorū, & ſpirituū: deniq; noſtrā opitulationē per preces nō exiguā præbere conſolationē, & releuationem ijs animis, qui uita non ſine reſidua ſatisfactione defunguntur quotidie: uix quiſquā uetuſtiſſimorū Theologorū ita clarè, & efficaciter probat, & orthodoxiæ uendicat. Nam dudum oſtendimus ex

tertio libri de Diui Nom. capite, eum non solùm ur
bẽ sanctam: sed τὴν θεὰν etiam, quamcunq; tandem
intelligas, τοῦ ζωαρχικοῦ, καὶ θεοδόχου σώματος ui-
sisse, & conuẽtu, ac panegyricis sermonibus locũ
cũ honorauisse: itaq; docuisse nos suo, Apostolicoq;
facto non esse stultum, sed admodũ religiosum loca
sacra frequentare, & pijs sermonibus decorare, et
reliquias sacrosanctas quaslibet, maximè Domini
nostri Iesu Christi, & cooperatas nostræ alioquin
redẽptioni in summo honore nobis esse habẽdas. De
reliquo à morte hac loco, in quo nõ omninò idonei,
qui sub conspectũ ueniãt eius, qui nihil fert coinqui
natũ, expurgentur: quis nescit 7. cap. Eccle. Hierar.
eruditißimè hanc orthodoxiæ partẽ adserere, &
ex Apostolica tradere sententia? Reliqua capita mo
dò proposita, & si quæ restant prætereà partim in
panegyricis nostris in B. Cle. VVil. pridẽ ita demõ
strauimus, ut Dion. solùm auctoritatẽ nobis suffice-
re potuisse, & debere iudicẽ: partim suo tempore si
Christus conatibus nostris faueat, confirmabuntur.
Quapropter hinc liquet (nisi uehemẽter errẽ) quan
tã utilitatem scripta M. Dion. Areop. allatura sint
Catholicæ Ecclesiæ: atq; ideo consequitur quoq; no-
strum Hildiuuinum nulli secundũ scriptorem defen
sionis fructu, qui nobis illũ reddet, certæ & irrefra
gabilis fidei, hoc est uerè, & omnino fidei nostræ
expedientẽ. Cæterũ cùm liber nullus tã sit fructuo-
sus, quin maleuolorũ, & uesaniâ hæretica impulso-

ὑπερασπισμὸς τῶν κατηγορȣμένων, & reprehensibiliũ à Zoilis in Hildiuuino.

rũ facilè impetatur obliquis morsib. uidebitur non nihil hîc insuper præfandum, & neuus unus atque alter diluendus, primũ in nostro Hildiuuino, deinde oportebit in Dion. quoque obiectatiũculas aliquot dissoluere, ac tum tandem perorandi tempus fuerit. Verendum quippe est, ne obtutus immò falsa species huiusmodi macularum inuidos, & pertinaces animos ad detrahẽdum, atque obloquendum incitaret: qui alioquin absque ea forent silentium tenturi. Igitur primum illud occurrit non indignum infirmatione, quòd in Catalogo librorum Dion. adfirmasse uidetur Hildiuuinus librum de Diui. nomi. eundem esse Dionysio, cum eo, quẽ alibi non raró uocat Symbolicam, seu significatiuam theologiam: nam tertio cap. libelli de mystica theologia tanquã diuersos libros illos duos nominat, & diuersum exponit argumentũ: quin immò extremo cap. ultimo de Diui. Nomi. significat se iam accingi ad cõpositionem theologiæ illius symbolicæ: quod erratũ si nõ excuset flagitatio Imperialis, et importuna expectatio: at multa capita similia utrobiq; cõprehensa, ut uidere est 3. cap. mysti. theolog. ubi operis utriusq; contexitur index, calori inconsiderato, & effusioni præcipiti ueniã dabũt: mitto q, hoc loco uers⁹ scripturæ ita dissidebãt, & tã inæqualibus spacijs, ijsq; non integris subsultabãt: ut nõ immeritò ab alio postea insertũ uideri potuerit: siquidem & in margine scholion apponebatur, quo uerbũ quodpiam Hildiuuini examusim

Prima obiectio.

ſim(ſic enim ponebatur)explanabatur: cuius Scholiaſtæ uix dubito eſſe hoc idem commentum: nequaquam uerò Hilduuini melius uerſati in ſuo Dionyſio. Deinde nonnulli fortaßis etiam catholici offendentur, nedum nō malè ſani homines, narratione, & adfirmatione Hilduuini, et Metrodori, quaſi Dionyſio ipſi incōmodatura, qua ſede, & parœcia deſerta fingitur (inquient) amplexus apoſtolatū, et quidem Gallicanum homo Græcus. Verùm ſi & Petrum Antiochenam eccleſiam cōmiſiſſe Euodio, & Romanam poſtea Lino, & Cleto, ipſiq; Clementi, et Apoſtolicam ſuſcepiſſe peregrinationem in eas gentes, quas epiſtolis quoque ſuis inuiſit, ut teſtatur in Carpocrate D. Epiphanius: deſinent mirari, aut culpare, hoc Dionyſij factum: quod ad linguæ diuerſitatem attinet, certè Faber Stapulenſis ſcholijs ad Epiſtolam Dionyſij Polycarpo datam colligit ex Perſicis uocabulis Mithros, & cæteris, & quòd Babylonios ſe perlegiſſe profiteatur hiſtoricos, & alibi arcanas uoces Hebræas interpretetur: eum linguarum dono fuiſſe præditum. Nā illum extremo 4 cap. Eccleſ. Hirarc. τὸ ἀλληλοῦια, φασὶν δι τὰ ἑβραίων εἰδότες τὸ αἶνος θεοῦ δηλοῦν ἢ τὸ αἰνεῖτε τὸν κύριον, aliena citantis eſt non ſatis cōſiderata, & modeſtè corrigentis: quod autem ibidem paulò antè præceßit in uocabulo Seraphim interpretando, & plerisq; alijs alibi, nihil eſt profectò quàm linguarū donū dißimulantis et ab oſtentatione alienißimi,

Secunda obiectio.

nißimi, sibiq; humiliter nihil uindicantis: siquidem & alibi sibi S.S. negat, & eius sensum: qua de re satis est, eratq; compertum. Alioquin Græca lingua tam fuit diffusa per orbem, ut Hirenæus quoque multò pòst Lugdunensis Ecclesiæ non illaudabiliter gubernacula moderatus fuerit: quod doctißimi Gallorum, in quibus G. Budæus, & Ioachimus Perionius adeò probant suis hac de re scriptis êditis: ut tantum non eandem fuisse adserant. Cui rei Druidæ, antiqui Gallorum Hierophantæ apud C. Cæs. non parum suffragantur. Neque parum fauet Samosatensis Luciani commentatio, qua Gallicum celebrat Herculem, testaturq; congressum se cum indigena apud Celtas Philosopho, qui pulchrè sonaret Græcè. Eam autem rem cùm admirationis excitandæ uideatur referre, nisi de sermone non parto disciplina externa accipias, friuolam atque ineptam facies. Qua re non satis animaduersa plerique Latinis accensere Hirenæum non sunt ueriti. Sed de eo plura alibi ex professo. Hinc quid (inquient) sibi uult, quòd à Paulo creatus Episcopus, non à B. Clemente, ut ipsemet ex Dion. Corinthio adseuerat contra Areopagitomastigas: attamen potestate ligandi, & soluendi dicatur ab hoc item cohonestatus? Nunquid (aient) presbyter ullus, nedum Episcopus reperitur, qui hac potestate non existat unquàm præditus? respondemus breuiter, tantum abesse, ut quicquam incommodet hæc

Cap. 2. f. Eccle. Hierarc. & epist. ad Ioan. Euan.

Vide Scoliast. græ. ex tre. cap. 2. Eccl. Hier.

Tertia obiectio.

historia Dionysio, aut P.M. Clementi; ut nihil magis prosit ad adserendam Dionysij orthodoxiam, & ostendendum quæ prima Germaniæ, & Galliæ fuerit Catholica, & sana fides. Nam hinc discemus primos istos Pontifices agnouisse, quam etiamnum custodit, & prædicat Romana, & uera fides iurisdictionem, & Romanæ Ecclesiæ inclytam maiestatem. Nam tametsi sacerdotium à Paulo mandatum uim, & facultatem contulerat soluendi, & ligandi: usum tamen non concesserat in Galliam quoque, uel in uniuersum orbem, sed Atticam, aut fortaßis Græciam duntaxat. Quare licèt in ea charitate, & raritate idoneorum Euangelistarum, & Apostolorum, Episcoporum plurima fiebant, & permittebantur à Pontificibus Maximis, quæ hac suspecta, & maligna tempestate, neque ferrentur, neq; dißimulari etiam in bonis propter periculum offendiculi, atque imitationis malorum possent, quale uideri queat, quòd sua uidentur auctoritate subrogasse sibi Atheniensem archiepiscopum & Apostolicum, quasi uicarium praeceptoris sui Pauli, egerit per uniuersam Græciam ab Apostolorum nece in Clementis Pontificatum: attamen non nisi permissu, & iussu M. P. non nisi iurisdictione, atque imperio instructus nouam, & antea incultam prouinciam uoluit suscipere, ideoq; uidetur noua potestate (cùm usus potestatis, hoc est, iurisdictio intelligi debeat) soluendi, & ligandi esse à

B. Cle.

B. Cle. P. M. ante profectionem donatus. Quod utinam ij obseruarent, qui quotidie cùm non mittantur, sed reuerà reuocentur à Numine: tamen in Gallias, Germaniam, Britanniam currunt: uentris, & tyrannidis, quàm pietatis, & neceßitatis impulsione uehementiore.

Huc pertinere uidetur is locus medij ferè responsi ad epistolam D. Pij, quo inuidiosè, ac seditiosè istiusmodi uertigine agitatis capitibus uidebitur Hildiuuinus Pp. Mm. dominatus sui proferendi iam inde ab initio conuersionis Gallorum studiosos fingere: dum antiquum Gallicanarum Ecclesiarum ritum desijsse olim admodum refert, & memoriam illam, qua de loquitur, paßionis Martyrum contendit longo superiori (ita enim scribit) tempore Occidentalibus partibus per supplantationum postulationes inoleuisse. Verùm si ijdem animaduertêre, incertum esse ex Hildiuuini hoc loco Galli'ne Episcopi, ut liceret sibi mutare, receptum usum petiuerint: an Pontifices, ut facerent, mandauerint, Gregorium uocare (quem tamen postremum enumerat) Beatum Papam, mox subijcere excusationem uariationis ab Apostolica Ecclesia: denique agere non de abolita, sed inolita memoria per supplantationum postulationes (memoria inquam) quam in missalibus uetustißimis reperiri dixerat: uidebunt uerba illa signifi-

ſignificare compoſitionem hymnorum, ſeu ſequentiarum principiò flagitationi plebis conceſſam, itaq; tandem in Eccleſiaſticam conſuetudinem deueniſſe. Quare dictũ illud, cùm amoliendi nouationis crimẽ à Dionyſio, & ſucceſſorib. intentione ſit poſitũ: plurimum facit ad Hierarchiæ Rom. adſertionẽ, nedum quicquam ei aduerſari, gratificariue iſtorũ ſchiſmaticæ rebellioni eſt putandum. Adhæc neque illud fortè maleuolorum Zoilorum latebit oculos, neque dentes effugiet, quòd hic noſter Germaniæ, ac Galliæ Apoſtolus Dionyſius non Athenienſis nuncupari (quod tamen ferè receptum eſt inquient) ſed Ionicus adfirmetur ab Hilduuino: unde appareat ab Athenienſi Areopagita eſſe diuerſus. Sed ne prolixiſimus in inſcitia refellenda, adeant, qui poſſunt Suidam in uoce ἰωνικὸς, & ἴωνες: & diſcent imperitiæ ſuæ ſuſpiciones malas prudentiùs moderari: qui uerò græcè neſciunt, aut exemplari deſtituuntur: ſciant Ionicum Suidam interpretari eum, qui ſit ex ueteribus Athenienſibus, ac terræ filijs, qua de re plura Hilduuinus ex Ariſtarcho (ni fallor) initio Martyrij. Ibidem idem auctor Iones interpretatur Atticos. Quocirca cognomen, aut prænomen iſtud Ionicus inſigne fuit nobilitatis, & antiquiſsimi ſtemmatis Dionyſij, utpote qui non ex aduenis Athenienſibus fuerit ortus: ſed

Quarta obiectio.

sed ex primis sponte sua (ut illi fabulabantur) ex humo subitò enatis. Eiusdem autem momenti est argumentum, quod ex dicto quodam Areopagitæ ab Hildiuuino prodito colligi queat, quo Christum in locato adseruit hospitio uoluisse nasci: quasi hinc uidelicet consequens fiat dictum hoc esse latini hominis; eò quòd Græci omnes spilæum fuisse aiant, maximè uetusti, non domum, quam uideatur significare hospitium. Nam hospitium nemo neget receptaculum esse hospitum, qualecunque tandem illud sit: deinde hospites fuisse Christum, & parentem, cum nutricio Iosepho æquè confessum est: itaque non absurdè, sed admodum Emphaticôs, & significanter dictum esse illud consequitur à Dionysio. Nam illud haud dubiè Lisbium multò uehementiùs mouebat, & excitabat, quàm si propriè, & absque flexu, ac modo Spilæum, seu stabulum μικρολογῶς *appellauisset: quemadmodum apud Poëtam fortiùs aduersarium adfingens spolia ampla ironicῶs, quàm si duorum Deorum dolis unicam dixisset tantummodo fœminã esse uictam. Taceo Epitasin inopinatam in hoc dicto latêre, quæ facit non modò ad dicti huius ingeniosiorem consequendam intelligentiam, & peruidendum non temerè adhibitum fuisse ante uocem hospitij: sed etiam ad Euangelij pleniorem mentem cognoscendam. Meritorumq; Christi in nos collatorum, & parentis optimæ incommodorum in hac*

Quinta obiectio.

uita

uita perpessorum obseruationem, ac memoriam. Nam erat satis graue in gratuitum detrudi spilæũ, & quidem stabulare: nunc quando Dionysius docet etiam conductum fuisse, statim inaudita Christi humilitas, & beatißimæ matris eius tolerantia eluceßit. Adeo multum etiam ea, quæ reprehensibilia uidentur in Hilduuino, ad scripturarũ faciunt propriam, & arcanam interpretationem. Quale & illud est, quod de flagellatione Dion. ex antiquitate Romana Hilduuinus se multo studio tandem dicit inuenisse. Nam ex ea re non obscura Christi, & Pauli quoque supplicij iniquißimè illati queat à studiosis ratio uera, & plerisq; recondita dari. Sed hoc aliò pertinet, & dudum de eo pluribus à nobis actum est. Porrò ex obiectationibus perspicitur certiùs, & penitiùs: ut ex eo, quod quidam fortaßis argumentaturi sint, & Hilduuinum, & Martyrem ipsum fuisse indoctum: nedum Areopagitam, græcúmue alium scriptorẽ, quia à Dionysio tradit Hilduuinus eidem Lisbio agrum offerenti in fundũ Ecclesiæ, responsum: precio Iudæ priùs quidem numerato à principibus Iudæis, deinde tandẽ relato, agrũ coëmptum in captiuorum sepulturam: cùm Euangelista Matthæus habeat εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις, seu in sepulturam hospitibus, peregrinis. Nã cùm minimè sint aduersa captiuus, et hospes seu peregrinus, sed hoc illius ferè sit genus, & necesse sit esse hospitem, seu peregrinum eum, qui sit captiuus (rarò enim fit,

Sexta obiectio.

Cap. 27.

ut in patria quis captiuus sit, quod tamen per desertionem, & transfugiũ fieri contingat) patet Dionysium non quoslibet hospites, & peregrinos intellexisse: non gloriosos, & diuites (hi nanque peculiare, et magnificum sepulchrum sibi comparassent, neque contenti fuissent communi aceruo, & (ut aiunt quidam) gehenna) sed uiles duntaxat, calamitosos, & bello primùm captos, ac deinde in uinculis, aut pòst dimissos, atque ibidem tamen (ut fit) hærentes. Etenim non agimus de quibuslibet captis, ut sontibus, & nocentibus in uincula coniectis: sed de ijs, qui extra infamiam illam forent constituti, & aëriam condituram, & qui aliunde adducti theatralem illam ignominiam, & prostitutionem merebantur defugere. Adde quòd Domitianus Imperator trib. aut quatuor locis huius extremi opusculi fuisse dicatur, cuius iussu sublatus sit è medio Dionysius: id quod haud scio, quî factum sit: erroréne, & dormitatione ipsi uel Homero communi, an scribæ oscitantia, an quapiam alia de causa. Nam culpã esse scribæ in lubrico, & procliui lapsu argumentari uideatur: quòd alioquin annos Christì, & imperij diligẽtißimè adnumerauerit, & quòd ratio annorum Traiano non Domitiano congruens esse appareat: deinde quòd sub extremum martyrion dicat hunc Tyrannum quo de agit 2. post Neronem persecutionem attentauisse: quod haud scio an auctori tertium potiùs, an secundum ordine, ideóque an Domitianus

Septima.

mitianus

mitianus secundus persecutor, primus à Nerone, an uerò ordine tertius, et primus à Domitiano designetur: certè quòd extremo eodem martyrio dicat consummatum esse Dionysiũ in ingruente decimosexto anno, id est (ut opinor) penè euoluto decimosexto, cùm tamen certum sit ex T. Suetonio fide dignißimo teste huius rei, tantùm.15. annos regnasse Domitianum, eandem suspicionem plurimum auget: Traiano quippe decimussextus annus non Domitiano fuit: siquidem nouẽdecim annos, sex menses imperio functum ex auctoribus fidelißimis accepimus: uerùm tamen cùm quater omnino idem nomen uideam repetitũ, cùm uetustiß. Metrodori martyrion, quod totum penè conuertit (ut dixi) Hildiuuinus, uideam Domitianum non minùs quàm ter nominare, Nicephorum libro 3. capite 2. & Georg. Pachimeram in Paraphrasi ad ultimam Dionys. Areop. ad Ioan. Theologũ epist. cum Metaphrasta, & Isidoro, in eundem conceßisse errorem: præterea cùm nihil temporum ordine sit incertius: denique cùm Syngelus uix errorem receptum declinauerit, admonitu scriptorum ipsius Dionysij: fit ut et dormitauisse, & humanum aliquid hic passum esse Hildiuuinum malim arbitrari. Nam & Suidas, & Syngelus non satis conueniunt etiam in eiusdem imperio uersantes. Nam Suidas Dionysium cũ Ignatio putauit passum, à quo Syngelus prudenter recedit: Ignatium autem unà cùm B. Clemente, Zonara

Hanc repugnantiã inter Metrodorũ, et Syngelũ suum uidit G. Tilmannus, sed præteritione atq; occupatione fucata reliquit insoluta et Mallario tãq̃ subtili, et perito historiarũ expediendã relinquit.

putat 3. Traiani anno defunctũ confeßione, & potitũ optata palma: Syngelus Ignatium 9. Hieronymus Clementem quidem tertio Traiani anno, at Ignatium undecimo anno adfirmat coronatum martyrio. Mitto hîc quòd Simeon Metaphrastes quoque in Euangelista Ioanne adfirmet sæuiente Domitiano antè sublatũ è uiuis Dionys. Areopag. quàm è Pathmo rediret is: quod Traiano demum Imperante contigit, tametsi in Alogis Epiphanio Claudij imperio reducem fuisse Ioannem è Pathmo uideatur extra cõtrouersiam positum. Quare patet quanta incertitudo, quantaq; uarietas sit in tam diuersis magnorum scriptorum coniecturis, & dissensionibus: atque idcirco quàm digna uenia sit uel hallucinatio, uel dissensio. Quanquam ergo hæc ratiocinatio Hildiuuinum nostrum esse hoc loco extra omnẽ culpam ponendum uideatur concludere: attamen nõ posse fieri, ut totum crimen remoueamus, & eãdem diligentiæ laudem uendicemus nostro Hildiuuino existimo. Nam πρωτότυπον, seu ἀρχήτυπον ipsum nos esse nactos, & non παράγωγον quodpiam, unde istud describi curauimus: immò ipsam Hildiuuini manum Chludouuico Augusto dono missam, non dubito adfirmare, neque quicquam aliud in animum possum inducere. Nam ea, quæ excusat priore sua epistola omnia etiamnum hoc in descripto libro conseruata sunt, ut in ἀυτογράφῳ illo cernebantur. Erat autem id tantæ antiquitatis, dignitatis, & magnificentiæ,

centiæ, lituris, & inductionibus tamen adeo oblitum & dispunctum: ut meritò in opinionem hanc concesserimus. Nam Hildiuuinus inuidiam primùm styli deprecatur, deinde compositionis rhetoricæ qua cõsonantes molliter, & suauiter contexuntur, ut oratio fluere dulciùs uideatur: tertiò excusat alteram eiusdem compositionis partem, quæ partim numeris, partim dimensionibus, & distinctionibus artificiosis absoluitur: quæ omnia, id est, stridor, & sibilus consonantium, uocalium hiatus, incisorum, membrorum, & orbium quoque confusio paßim etiam in hoc quod êdimus exemplari curiosißimè sunt retenta. Nam licèt malè me habuerit, quòd alioquin insignes, & artificiosi ambitus sola notariorum, & scribarum congestione, & indistincta separatione gratiam amittant: attamen malui uitia ipsa dare lectori, quàm uideri aliquid edere, quàm scriptor sese misisse testetur. Si nanque auctor emẽdasset ea, quæ se scribit donare urgẽti imperatori, & nisi exemplar, quod habuimus, & secuti sumus, foret ἀυτόγϱαφον: Profectò nõ ita religiosè omnia resedißẽt, nõ apparuisset (inquã) eadẽ cõfusio, non fuissent cætera uitia potiùs in margine paßim subindicata, quã correcta, et erasa. Auget coniecturam, quòd uix memoria Hildiuuini usquã præterea extet: licèt C. Lycosthenis compendium Bibliothecæ Gesnerianæ nomen ipsum recenseat, & tam carmine, quàm soluta oratione dicat res gestas Dionysij Areopagitæ com

plexum: nihil tamen addens quo loco (ut solet aliàs) adseruetur, aut excusum id opus foret. Quare uel ex indice aliquo eorum etiam, quæ aliquando fuerint alicubi, uel ex auctore historico, aut Chronographo, uel aliunde postremò potiùs uidetur capitulum illud mutuatus, quã ex operibus à sese uisis, aut lectis. Accedit his & illud, quòd ne monachi quidẽ Dionysiani, cuius instituti præfectus fuit hic noster auctor, & apud quos autographa istorum omnium, quæ citat etiã græca conseruari adseuerat, uideãtur exemplum ullum habere: alioquin impij appareant mihi in suum Apostolũ, & singularem tutorem, qui presserint tã diu in tanta Areopagitomastigũ insolentia, et oppugnatione ueritatis, hæc (ut si fas fabulosum quid huc admiscere) Vulcania arma. Quin G. Tilmannũ, & I. Gagnæũ Bibliothecas omnes peruagatum totius Galliæ, & potestate quiduis describẽdi, & descriptũ edendi præditũ, nunquã credo commissuros fuisse, ut hunc insignem Dion. Ariopagitæ armigerũ, et propugnatorẽ sinerent abditũ angulis sordibusq́; bibliothecarum latêre, si reperire usquã exẽplar aliud quiuissent. Quod ut uerisimilius fiat, unde ad me deuenerit ipsum αὐτόγραφον opus exponã trib. uerbis: ac mox ad Dionysij ipsius nõnullã defensionẽ transibimus. Hyperis (antiqua, et florẽtissima Flãdriæ ciuitas est, episcopali totius Diocæseos curia (ut uocant) præstans) familiaris quidam ex collegio Martiniano instituti unius cuiusdã eorũ, qui

Occasio reperti huius uoluminis, ũ quo, & quo loco expon.

qui Augustinianorũ nomine censentur, literarum sacrarũ, antiquitatis ecclesiæ, & linguarum externarum non uulgariter peritus iuuenis Franciscus Schilderius nomine Præpositi sui (carent nanq; Abbatiali dignitate) penetralia ingressus, in quæ reliquiæ admirabilis [illegible]thecæ incendio nunquã satis flendo absumptæ temerè erant congestæ officij gratia ingressus, inter alia uetustißima monumenta, & hunc unionem reperit, & argumento animaduerso, neq; nescius Senis (præpositum dico) in aceruo illo librario superstitiosè custodiẽdo morositatis, pia impostura secum inde asportauit, & uix cursim plectũ utriq; nostrum amico, scribæ ex parte nostri paragogi, quod euulgamus ad me perferendum tradidit, ac tandem hortantem, ut curaret êdi, donare uoluit ipso illo autographo, & patriam mihi permisit potestatem: sibi ius omne inuentionis, & peculij abdicans: quorum illud quidem erat religio oblatum usurpare, hoc uerò cogor amore Dionysij, & studio orthodoxiæ attentare. Nam Schilderius ipse, tametsi idoneus sit, si quis alius, ad hanc operam Ecclesiæ nauandam, & rogatus à nobis non semel fuerit, ut Collegio suo (si sibi nollet) hunc honorem, & antiqui decoris maiorum suorum usuram uendicaret: hactenus recusauit pertinaciter, & pro sua erga me pietate, & fauore onus, & fructum omnem in nos reiecit. Porrò autem qui meminerit ex fide historiarũ Gallo olim paruisse Flandros, &

Martinianos illos iurisdictione ſua, & potentia, opibusq́; facilè teſtatum facere, qua olim gratia ualuerint apud Principes: quinimo qui conſideret Flandricam potentiam, & crebras de Gallis uictorias, cùm alias ſubinde, tum Carolorū tēporibus: is profectò deſinet mirari, ſciſcitariq́;, quî fieri potuerit, ut bibliotheca primitiua, & fons ipſe, ueriq́; hæredes Dionyſiani illi theſauro hoc priuati ſint: hi uerò Martiniani autographo ipſo ornati eſſe, nobilitatiq́; uideantur. Nam principum fauor quantū ualeat ad huiuſmodi mutationes: præſertim ſi illi ueſtigia ſui Hilduuini deſtiterint perſequi, hi autem (ut ueriſimile eſt) diligentia, & ſtudio fuerint gratioſi: hodierna & frequētia magis, q̃ expediat fortaßis, docēt exēpla. Breuiter ergo uel iure belli B. Hilduuinus in Hyperenſe deuenit auxilium poſteriorib. nationum earum tumultibus: uel prima condonatione principum ijs, qui proprio carebant Abbate, & contenti erant, ut adhuc ſunt Præpoſito: mutus eſt ſubmiſſus doctor, & moderator. Quæ cū ſe ita habeāt, religioſum mihi eſt uiſum, quicquā immutare in tam uenerando autographo, & non minùs, quā mihi, & notis meis, quibus cum contuli, putaui ſtudioſis lituras, mendas, & perantiquas id genus doctißimorum hominum ceſſationes, uel (quod uerius dixerim) feſtinationes placituras. Quocirca noſtræ non debebit adſcribi inſcitiæ, quod ſtudio gratificandi antiquitatis ſtudioſis exhibemus: aliquando quidē in margine dūtaxat quid fuerit innuētes,

aliâs autem omnino id ipſum, quod reperimus repreſentantes, & hoc quidam coniectura nonnunquam in margine correctionis appicta, non rarò (maximè ubi res notior eſſet, quàm quæ ſæpius, aut unquã deberet admoneri) omiſſa, rariſsimè in craſſiſsimis erratis ſublatis in autographo lectis, & emendatis. Pronuntiationem *autem antiquam tam græcam, quàm latinam diligenter cuſtodiuimus, atque annotauimus: ingratam quoque conſonantiũ quarundam coniunctionem, ut conloco, conloquor & c. non fuit conſilium ullo modo attingere, quòd auctor palàm agnoſcat, nec ipſemet emendare uoluerit, & fortaſsis affectauerit. Siquidem non maior hîc mihi equidem licentia uidetur conceſſa emendationis, aut mutationis, quàm ſit* Typographis, *aut quibuſuis alijs in auctoribus* Barbaris, *& inelegantibus (ſi quando rerum cauſa êdi eos expediat) ſtylo elegantiore exponendis, aut quàm ſit grammaticis in antiquatibus* Plautinis, Ennianis, *& c. eliminãdis, & uſitatioribus ſupponendis.* Eodem *conſilio præpoſitionum, et coniunctionum noluimus ſeueriorem arrogare nobis cenſuram, in qua re nonnihil admiſſum quoque fatetur ipſe* Hildiuuinus: *ſed cãdidè omnia lectori uoluimus communicare: quin immò & diſtinctionum, & notarum, colorum, commatum, & periodorum, et cæterorum negligentiam auctoris ob properationem reſidere ſiuimus, & cẽſendum promiſcuo lectori propoſuimus: ubiq; fidem*

originis, & diligentiæ nostræ pluris facientes, quã paucissimorum sciolorum fortaßis supercilium, aut obtrectationem. Absit enim à nobis, ut ulla in re huiusmodi, lectoribus præiudicemus: & nostras coniecturas pro ueritate, cum damno multarum utilium obseruationum in se prouenturarũ obtrudamus studiosis. Atque hæc quidem sunt, quæ ueritatis hostes ualeant fortaßis in Hildiuuino calumniari, & carpere, aut nostra potiùs opera: nam ille extra omnẽ est criminationem constitutus, ut qui studio demiserit se indoctiorum causa ad hunc cultus natiui neglectum: uel cursu impeditus, & imperio graui impulsus nequiuerit. Nam licèt se confiteatur cum Paulo sermone imperitum atque infantem, attamen affectata sua infantia non minùs, quàm huius Apostoli, testatur (ut antè etiam monui) quid, si uoluisset, potuisset efficere. Siquidem tam indiserta Pauli nõ sunt scripta, quin omnia lumina artis, et uniuersum artificium D. Augustin. in ijs notatum proponat ad imitandum. Nunc autem tempestiuum fuerit, aliquas præterea nebulas, ab Areopagitico iubare dispellere, quas noctuarum hæreticarum neminem quidem hactenus uidi, aut memini deprehendisse: uidere tamen occasione caliginis inualescentis posse olim metuendum est. Et primùm quidem nullam nobis inuidiam debet facere, inconstantia, repugnantia, & incertitudo historiarum: neq; quia Ignatium ex postrema citat epistola, quem omnes adfir-

Diluuntur nonnullæ obiectationes contra opera Dion. Areop. M. Syngel' et I. Zonara 3. Hieronymus 11. Suidas cum Ignatio Dionysium iungit in martyrio. &c.

Prima obiectio.

adfirmant Traiano imperante functum esse gloriosissimo omnium exitu (licèt non eodem huius Cæsaris anno, quemadmodum pauloantè est dictum) idcirco errore Nicephori, & scriptoris martyrij Græci, non potius Domitiani Tyrannide, quàm Traiani haberi passus ducetur, quod plures, & certiores tradunt auctores, operibus ipsis suffragantibus: itaque neque alius ab Areopagita debet fingi auctor, neque posterior, qua priùs defunctus euangelica administratione, nequiuerit scripturam postea testem adducere: sed eò quòd Polycarpo scribat, uaticinetur Ioanni Theologo reditum ex Pathmico exilio, & congressum optatum, quod sub Nerua, aut Traiano saltem euenit: cum M. Syngelo, Suida, & antiquissimo scriptore Aristide Atheniensi, nec non & Adone Treuerensi pontifice, sub extremum Traiani imperium non paucis post B. Ignatium annis, quia ad duodecimum annum non pertigit, in Christiano pugilatu uictorem extitisse uerius, certiúsque credemus: ideóque non esse mirum si eum legere potuerit, ac citare: neque necessum erit, ut Ignatij nomen, & dictum suspicemur in contextum è margine, temporis successu esse relatum, aut plures ab eo diuinemus confectas, quàm quæ hodie extant epistolas. Eusebius libro tertio capite 18. & 23. putat Ioannem Euangelistam deportatum Imperio Domitia-

Aristidis Athen. lib. pro Christianis citatur pro hac ab Adone in uita Dion. tametsi quis suspicari queat, ex Aristarcho deprauatum, & ex Hilduino ab Adone sumptum.

Domitiani, ac post eius interitum reuocatum: uerùm 1. loco ex Irenæi lib. 9. Hære. tantùm probat eum uixisse usq; ad finem uitæ Domitiani: posteriore ex eiusdem 2. & 3. contra Hæres. lib. pertigisse in tempora Traiani: ex Clem. autem Alexandri. Serm. inscripto quis diues seruandus sit: ab interitu Tyranni cuiuspiam reducem Ephesum, Asianas plerasq; gubernasse Ecclesias. Sed primus fortè ille Clemētis sermo, q nūc intercidit, meminerat Domitiani, cuius Eusebius antè suis uerbis habuisset mētionem ibidem. Idem de Niceph. habendum, lib. 3. cap. 11. Dorotheus Martyr Tyriorum Episcopus testatur, & à Traiano relegatum, & ab eius interitu reuocatum, ac in Pathmo à se compositum Euangelium post Ephesi êdidisse. Deinde inscriptiones librorū ad Timotheum, & Titum haud dubiè Pauli discipulos missorum (tametsi Capnion, nescio unde in lib. 2. de uerbo mirifico, Theophilum uocet priorem) facilè, & ipsæ refelluntur, impediunturq; ne grauissimo auctori malam ullam suspicionem, suisue operibus, quasi adulterinis creent. Nam licèt nō ignorem B. Ignatium 6. seu quæ est ad Philadelphienses epistola, & 11. quæ est ad Ephesios medijs, & cæteris testari & B. Clem. & Ioannem Euangelistam, & Timotheum, & Titum iam tum palmis coronatos purpureis, in cælos triumphum egisse, atque ideo à morte ipsius (huius inquam Ignatij) non potuisse his tanquam uiuis, libros dedicari, ultro citroq; dari literas,

Secunda obiectio.

De Clemēte uariat in 1. epist. ad Mariā Cassob. q̄ nondū est autē-

literas, & accipi: & quidem multo tempore post beatificã emigrationem testis illius, hoc est, in libri êditione, in quo Cygnea, & fatalis Ignatij uox ci= tetur: licèt Nicephorus in proximis uerbis balluci= nans, uerè tamen aiat à Domitiano Timotheum cum Onesimo fuisse beatos: Abdias quoque Babylonius in Ioanne tradat eum ante Pathmicam deportatio= nem martyrij gloria triumphanti Timotheo succes sisse in episcopatum Ephesinum: attamen cùm sta- tim initio fidei susceptæ libros scripsisse ad illos cõ stet Dionysium ex Hildiuuino, & nihil uetet semel editum librum augere, expolire, illustrare, inopina tũ non est, libros illis uiuis, & superstitibus adhuc missos, & donatos, & eosdem alicubi auctos. Quin caput ipsum, quo dictum S. Ignatij allegatur præ se fert quandam additionem, ut & pleraque alia, qui= bus Hierothei adfert hymnos, et alia scripta, et par tim interpretatur, partim etiam non nihil de suo ap ponit. Certè quod in genere priùs dictum erat, at= que uniuersè quosdam tractatores facere, atq; usur pare, id post obitum in Ignatij iam triumphantis, & omni honore dignissimi martyris epistolis (ut æquũ erat) fidelib. gratissimis, et uenerabilib ostẽdere nõ utile tãtũ, sed piucũdũ quoq; fore uidebatur. Nã (ni= hil de Ioãne, et Clemẽte dicamus necesse est) lib. de di ui. nomi. citãtẽ (ut diximus) Ignatiũ migraturiẽtẽ ad Christũ: et epist. ad Tit. & reliqui, q extãt oẽs secuti sunt, oẽs tamẽ Timotheo inscripti haud dubiè Pauli

discipulo:

tica, ut cæ= teræ. Nã di cit etiã tũ Clem. Ana cleto, seu Cleto suc- cessisse, & regere Ro. Ecc. de quo uide fron= tẽ Ignatij Dilingani Græci, epi= stola ad Ma gnesianos. B. dicit Ti- moth. fuis- se ad seg. ad Tars. Io annẽ fuisse relegatũ. haud dubiè iuuenem obijsse.

Epistola ad Ephesios et Philadelphienses media: nã illico Onesimũ Ephesinũ episcopũ Ioãnis successorẽ nominat.

discipulo: itaq; fieri non potuit, ut hi libri, uel epistola ipsis missa, et quidẽ requirentibus: destinarentur à morte Ignatij, quos testis fidißimus Ignatius ipse excessisse olim testaretur: nisi (quod dixi) ex dictis constaret quædã cura posteriore êditioni primæ inserta tam ex Ignatio, quã ipso Hierotheo, ut noster quoq; testatur Hilduuinus in epitome, quã hîc proponit li. de Diui. Nom. post capitis 5. replicationẽ. Quæ cùm ita sint, multò minoris est momenti eorũ argumentũ, qui legentes in E.H. cap. 3. Dionysiũ referre in Ecclesia sua recitatã sacrificij tempore dilecti discipuli, & admirãdi ἐποψίαν,. i. Apocalypsin (iudicio ipsorũ) Euangelistæ Ioannis conscriptã uel in Pathmo, uel paulò ante exiliũ (siquidem et hîc uariæ sunt historicorum sentẽtiæ) ratiocinantur haud potuisse fieri, ut is liber Dionysij inscriberetur tãq̃ uiuẽti, & expectãti Timotheo, qui legi testetur in Ecclesia nõ exiguo post mortẽ eius uisam, et cõditã. Certũ est enim (inquiẽt) Theologũ Ioannẽ ex Ephesino Episcopatu, in quem Timotheo successerat, in Pathmõ esse relegatũ: quare nisi dicam⁹ Apocalypsin ante exiliũ cõscriptã, et multo quidẽ antè, uiuẽte adhuc Timotheo (quorũ illud mihi quoq; nullo modo placet, qa auctor disertè se initio uisionis in Pathmo die dominico raptũ fuisse adserit) nõ uidebitur probabile E.H. ad Timotheũ Pauli Germanũ filiũ, contra q̃ oẽs interpretes, cõmẽtatores, adsertores hactenus tradiderũt, & ipse liber clamat non uno loco,

Tertia obiectio.

Euseb. li. 3. E. H. c. 4. testatur Tim. cõstitutũ 1. Ephesinũ Episcopum.

missam esse. Nam primum adeo certũ non est à mor scr. cõiũgit
te B. Timothei deportationem Ioãnis contigisse, ut in adserẽda
Tertullianus (cui Græci ipsi historiarum cognitio- Ro.Ecc. di
nem, & ueritatem tribuunt) innuere uideatur eru- gnitate hos
ditis euenisse eodẽ tẽpore, quo Nero Petrũ et Paulũ tres Apost:
Ecclesiæ Christianæ eripuit, idque iussu quoque e- per sua tor
iusdem Tyranni, cui Eusebius παλινῳδῶν senten mẽta: tamet
tiam in Chronicis, & historia priùs êditam adsti- si diligẽter
puletur alicubi demonstrationis Euangelicæ. Qua attẽdenti
tempestate uixisse adhuc B. Timotheum, & multo idẽ uideri
pòst egisse episcopum: nemo sanè est qui negare pos posit in A
sit, atque ita Apocalypsin potuisse primùm recipi pologet. et
in Ecclesias non tam Gallicanas & Atticas, & proscripti-
præcipuè Atheniensem, cui adhuc tum præerat Dio- onẽ, & re-
nysius (Athenis nanque ad deportatum Ioannem uocatiõẽ lo
dedisse literas contendit in panegyrico huius Meta an. Domiti
phrasta) & id deinde referri in librũ, postremò in- ano adsig-
ter eos, quos habemus scriptum consequitur. Certè nare: tenta
Epiphanius in Alogis Claudio Imperante Ioannem uerat &
& exulauisse in Pathmo, & Apocalypsin illic cõ- Dom. (ait)
scripsisse, & ab exilio reuertisse non semel è tradi- i. persecut.
tione refert. Quãquã ille Dionysij locus nõ tã de A Christian.
pocalypsi q̃ de Euãgelio secũdũ Ioan. mihi uideatur sed quia &
intelligẽdus: ideóq; uisum iri putẽ ijs omnib. qui phra hõ, facilè
sin Dio. nõnihil delibauerũt: si modò uerba penitiùs receptũ re-
spectẽt, quæ sanè huiusmodi sũt: πᾶσα μὲν γὰρ ἱερὰ presit, re-
καὶ ἁγιόγραφος δέλτος ἤ, etc. toto penè canone scri stitutis etiã
pturarum interposito, ἢ τὴν κρυφαίαν, καὶ μυστικὴν quos rele-
ἱστορίαν gauerat.

ἐποψίαν τοῦ τῶν μαθητῶν ἀγαπητοῦ, καὶ θεσπεσίᾳ τὴν ὑπερκόσμιον Ιησοῦ θεολογίαν τοῖς πρὸς θέωσιν ἐπιτηδείοις ὑφηγήσατο, &c. unde eruditi uident occultam, & mysticam, seu arcanam contemplationem, uel inspectionem eandem esse cum supermundana, & sublimi Iesu Theologia: nam huius esse officij, & significationis articulum Græcum (τὴν) tradunt Grammatici, ut uidelicet res diuersas coniungi oportere indicet, ubi alioquin (ut hoc loco) copula desideretur. Occulti autem, & arcani ratio Apocalypsi, id est, reuelationi non satis uidetur seruire: euangelio uerò Ioannis, ac ueræ Christi domini Theologiæ (siquidem & nomen inde Ioannes promeruit) adeò congruens est, ut hoc potißimũ nomine illum donare uoluisse meritò uideatur. Id planum faciet extremum secundum caput Ecc. Hierar. ubi mentionem habens diuini illius in cœna sermonis, expositaq; ternæ mersionis in Baptismo significatione, ut scilicet quoad eius à mortalibus fieri queat Deum nostrum, suamq; mortem, & sepulturã triduanam imitemur: addit in quo, Christo, nempe κατὰ τὴν τοῦ λόγου μυστηριώδη, καὶ κρυφίαν παράδοσιν, οὐδὲν εὕρηκεν ὁ τοῦ κόσμου ἄρχων, id est, ut habet uerbi mysterijs plena, & occulta traditio, nihil inuenit mundi princeps, quod Ioan. 14. D. extat proditum literis. Neq; multum his refragari putandum est, quòd præcedat illic, ἢ τὰς ἀνδρικὰς Ιησοῦ θεαργίας. i. uiriles Iesu diuinas origines, &c.

Cap. 3. loco adducto.

quasi

quaſi uidelicet uerbis ijs Ioannem cum Euangeliſtis alijs perſtrinxerit: etenim præterquam, quòd Ioannes Genealogiam nullam inſtituerit, ut Matthæus, & Lucas fecerunt, quas propriè reſpicere uidentur συνεκδοχικῶς *tamen: res ipſa clamat, eum ordinem êditionis ſequi, & Ioãnem ſeorſum, & hoc poſtremo numerare, & recenſere loco, quòd ultimo ſuum êdiderit Euangelion: temporis nanque decurſum, et ſeriem perſequi, in enumeratione inſpectus diligenter locus faciet perſpicuum. Aliquin temporis progreſſu catalogum ſcripturæ ſuccreſcentis in libro ſemel priùs emiſſo auctum eſſe ab ipſomet auctore, quemadmodum dudum eſt à nobis dictum, neque improbabile fuerit, neque nouum, neque etiam inhoneſtum auctori. Verùm huic uidebitur fortè omnino attexendum, ac diluendum, ſi tamen opus, ut prætereà quicquam de hoc capite dicatur: quod epiſtola ad Ioannem Theologum ſcriptũ hiſce extat uerbis:* ἡμᾶς δὲ οὐδὲ τοὐναντίον ἀποστερήσει τῆς Ιοάννου παμφαοῦς ἀκτῖνος. Νῦν μὲν ἐντευξομένους τῇ μνήμῃ καὶ ἀνανεώσει τῆς σῆς ἀληθοῦς θεολογίας μικρὸν δὲ ὕστερον ὑμῖν αὐτοῖς ἐνωθησομένοις, *&c. & in G. Pachymera enarratum paraphraſi ab interprete ſuo translatũ eſt hoc modo: Abſente etiamnũ te, tuũ nihilominus identidẽ recitabimus Euãgeliũ. Et hoc profectò memoriã ueriſſimæ ipſius Theologiæ ſcitè admodum nominat & c. Atqui cum Dion. ipſe memoria, et renouatione dicat ſe congreſſurũ*

 interea

interea dū absit Ioannes nō lectione, aut euolutione Theologiæ: et Eusebius testetur lib. 3. E H. c. 24. illum usq; ad extortā à reditu è Pathmo editionē conscripti antè uoluminis, uiua dūtaxat uoce in annūciando Christo usum: deniq; eiusdem epistolæ clausula promittat editionē traditionū Ioannis à reditu (quo nomine modò ostensum est scripturam Euangelicā, hanc à Dion. insigniri) quis est, qui nō uideat hoc ipsum dictum priùs adserta à nobis, etiā confirmare? nedū ueritati quicq̄ officere sint putanda. Nā Euangelion dici, quod literis expressum necdū sit, nemo mediocriter uersatus in nouo instrumēto nobis (ut reor) iuerit inficiàs. Porrò esto (inquient ita hinc repulsi) tempestiuè libri isti omnes oblati, dicatiq; fuerint Tito, Timotheo, Euāgelistæ, et cæteris, nihil uitij, scrupuli, pugnæ, aut discrepātiæ existat in uniuerso Dionysij istius opere: at quî honorē, & existimationem B. Titi, & Timothei Pauli comitū, auditorū, & Collegarū in eo nō esse grauiter læsā docebis? ubi puer uocatur Timotheus, neq; ceremonias, neq; earum intelligentias nouisse dicitur, & identidem inculcatur: ubi deniq; uterque quid crater, & cætera id genus triuialia scripturæ symbola, & signa non ualde arcana adfirmatur ignorare, quæ non uideantur indoctissimos nostræ memoriæ, atque inscitiæ alioquin latêre? Nū (inquient) uerisimile est, Timotheum à puero sacris literis imbutum debuisse intelligentiam oraculorū emendicare ab homine uixdum superstitionē eiurato, & bonā ætatis partē

Quarta obiectio.

philosophato, ac etiam tum tyrone Christianæ religionis? Num quis audebit dicere hūc illo ab auia laudatißima, & parente optimè instituto faciliùs rem Christianam uniuersam, uel intellexisse, uel à Paulo uiua uoce addidicisse, uel è scripturis eruisse? Scilicet idcirco tam breuem epistolam Tito scriptam M. N. contendunt propter hominis inscitiam (si fas sit dicere) qui egebat cōmentationib. huius Dionysij, sine quibus hæsisset spiritusancto plenus in scripturis intelligendis. Vbi nunc est prophetia Timotheo collata? ubi Charisma, et donū, q resuscitare toties monetur? ubi depositum illud, quod ei cōmendatur singulariter à præceptore morituro? Quî possunt ista cōsonare uideri cum hisce Pauli cātionib. nō simplici ratione Cygneis: uerbis doctrinæ innutritus es, noli negligere gratiā, q̄ in te est: et tu ait pmaneto in ijs, quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciēs à quo etiā didiceris, & q ab infantia sacras literas nosti. Deniq; illud nō tā uotū, q̄ testimoniū, aut saltem uaticiniū (Ambrosio teste, & Hilario): intellige q dico: dabit enim tibi dominus intelligētiam in oīb. Mitto q̄ in elogium Timothei, & B. quoq; Titi à theologis dici cōsueuerūt. Quòd si autē respōdeamus, & Paulum ijsdem suis discipulis multa præcipere, tradere et monere, q̄ idiotæ nulli ignorāt, ut de Christi pp̄ssione, & eius causa, natiuitate, & cæteris, quæ in symbolo infantes didicimus: Theophylactū sat scio adsciscent causidicum, qui ad secundæ epistolæ 1. ca. uerba: hæc commone testificans coram domino &c.

1. Timo. 4. D.
Hil. de Trinit. li. 11. P 141. A.
2. Tim. 3. c.
2. Tim. 2.
1. Tim. 4. D.
Responsio cum sua refutatione.
2. Tim. 2.

posita illa ait: ne quis existimaret & Timotheum indiguisse illa institutione, sciamúsque præcepta talia, & documenta populo, & ecclesiæ duntaxat præscribi. Addent Colophonem Epiniciū, dicentes:

2.Tim.1. hypotyposin teneto (inquit Paulus) sanorum sermonum, quos à me audisti in fide, & dilectione &c. Accedet hîc Chrysostomi fortaßis ad triumphi magnificentiā cōmentarius: qui ad ista uerba, ac si diceret, inquit, impreßi imaginē tibi uirtutis, & eorū, quæ deo uidentur, et placent omniū, tanq̄ quendā canonē & archetypon sacrorum sermonū in animum tuum incîdi, et cætera multa in eandē sententiam: & Theodoreti, uolentis Paulum dicere Timotheum habere

Responsio altera. omnes suæ doctrinæ regulas. Atqui & Ephesijs (si libeat) ipsis quoque canantur, qui nomine Timothei traduntur paßim in Beatißimi Areopagitæ li-

Scholijs in Dion. Areop. præfixis edit Græc. Flor. de cuius ætate uide præfationes Anastasij in Dion. Areo. uetustiß. lati. bris, & pacto nullo ad Timothei referantur eruditionem: nisi fortè B. Maximū recipere placeat ante 1000. & amplius annos contendentem, ista tam diligenter ab hoc philosopho istum ad modum, & philosophice tradi ipsi doctißimo alioquin nostræ disciplinæ Timotheo, quò Ionicis Philosophis Ephesi dominantib. faciliùs, & gloriosiùs occurreret, & suis eos armis cōmodiùs debellaret. Cuius rei significatio multa est in Paulinis ad hūc epistolis, et extrema E. H. ubi de paruulorū differit Baptismo, planè euincit. Quod si superuacuū, aut stultū putamus: explodamus, et Paulū Epimeniden potius Beato Tito obtrudentem,

trudentē,quā ſacra oracula, & alibi alia, ueluti Corinthijs Menandri illud: Corrūpunt bonos mores colloquia praua. Nā quæ ipſe apud Epicuræos, & Stoicos diſputauit Athenis, adeoq; aduerſus noſtrū Dionyſium, et Apollinē, & cæteros (de quibus plura in Hildiuuino) ex Arato, & cæteris nihil fortaßis ſubſidij hoc in certamine ſuppeditabunt. Certè etiamſi Dionyſius hic ſuū propoſitū dißimularet ubiq; attamē ad Polycarpū literæ ſuæ datæ, & eū cōtra Apollofanē armātes, itē eæ, quib. Soſipatrū informat, et inſtruit ad cōflictū Gētilē: meritò argumēti ſatis præbere debebant. His accedit Dionyſiū plus ſibi nonnūq̄ derogare, & Timotheo ſuo, quē aduerſarij uociferabātur admodū læſum attribuere, et deferre quā reuera unq̄ putēt ipſi ſibi illū arrogare. Legāt enim de D.N. primū, & præſtantißimū librū cap. 3. et extremo 13. legāt (niſi graue ſit otioſis calūniatorib.) 7. c. E.H. prope extremū itē: et niſi fateātur abūdè opinioni doctrinæ Timot. ſatisfactū, licet nobis iniuriarū libellū, ac litē etiā intētēt. An enim ibi nō plus tribuit, plus nouiſſe, et meminiſſe Timotheum, q̄ ſe, humillimè prædicat? Nōne admodū ſua ſubmittit inuēta, & meliora ipſius Timothei uicißim petit? Nōne rogat ſubmißè eū, ut ſicubi errare uideatur ipſe, moneat, corrigat, & meliora doceat? Quis nō uideat ex iſtis nō faſtu, ſed benificētiæ et charitatis mutuæ ſtudio ad hæc ſcribendū ueniſſe Dionyſiū? Quin et nō niſi rogatu ſcribendi laborē ſuſcepiſ

se Dionysiũ, probãt cũ epistolæ ad Titũ, exordiũ et principiũ quæstionis in 7. E. H. cap. de infantili initiatione: tũ Sycopolitani Põtificis B. Ioãnis ad posteriorẽ locũ antiquũ, & eruditũ scholiũ, & ca. lib. de D. N. undecimum: ubi per epistolam Timotheum quæstiões quasdã posuisse sibi utiles ad philosophicũ conflictũ apertè prædicat. Quapropter illic, unde modò discessi, etiã addit æquũ esse, ut Timotheus errata eius emendet, qui de ipso uel meritus sit bene, uel mereri sanè conatus sit. Ad extremum H. E. perorãs nõ solùm ab alijs eum diuiniora, & clariora cogniturũ fatetur, uerùm etiã fortaßis quidẽ à se gradib. subministratis: attamẽ sublimiora multò cõtẽplaturũ esse ipsummet Timotheũ disertè adserit: quare neq; eũ pudet suppliciter rogare, ut eorũ se uicißim Timotheus reddat participẽ, quæ suo admonitu, atq; opera excitatæ, atq; accensæ diuini ignis scintillæ ipsi Timotheo donatæ, et ueluti sopitæ sint effecturæ. Porrò quẽ uox (παῖς) nimis cõtemptibiliter aliquoties accõmodata Timotheo ab Areopagita offẽdit, is meminerit dudũ senij huic tributi, meminerit iuuẽtutis beatiß. & castiß. Timothei: deĩde attẽdat adiũctorũ paulò pòst, aut antè epithetorũ, ut si 1. E. H. ca obserues ἱερῶν παίδων dicit, cõsidera, & quod proximè sequitur ἱερώτατε ꝙ Põtificũ est appellatio: rursum si idem nomẽ ultimo eiusdẽ uoluminis capite occurrat, recole paulò antè σύνεσιν καὶ ἐπιστήμην ἱεραρχικὴν eidẽ παιδὶ esse aßignatã, quã

De uoce παῖς.

nõ nisi i episcopos quadrare Dionysio, norũt haud otiosi dũtaxat eius lectores. Quid quòd Hesychio παῖς cuiuslibet hominis.i.parentem aliquem sortiti, nec non & uirginis sit nomenclatio? Notius est autem ex Philadelphiana, & cæteris B. Ignatij epistolis, itẽq; Diui Hieronymi uarijs locis, uirginitatis gloria decoratũ hic excessisse Timotheũ, q̃ ut debeat admoneri. Taceo eandẽ uocẽ nõ minùs, q̃ idẽ cũ ea ualẽtẽ Brabãtis et plerisq; alijs Belgis beneuolẽtiã potiùs, quã ætatem, aut seruitutis cõditionẽ sonare: itaq; nõ ineptè tribui etiã seni ab adolescẽte, aut puero. Cæterũ si quẽ etiã malè habeat sacrorum enarratio signorũ, & rituũ, sacramẽtorũq; Tito, ac Timotheo attributa: is i coæuo Areopagitæ Ignatio animaduertat primũ inopinatas multas scripturæ sacræ expositiones, quas nobis lõgũ esset recẽsere, & martyri sãctissimo ignominiosũ. De Pauli cõtinẽtia nota est opinio (tametsi eo loci Vaticanũ aiant exẽplar uariari) deinde ex nostro hoc, c. 1. E. H. Apostolicã traditionẽ nobis partim scriptura, partim hisce umbris, & figuris ritualib. esse proditũ, & nobis relictã: postremò discat ex Ephesina epist. et certa ei⁹ intelligẽtia à G. Theologo, et discipulis suis Hiero. & plurimis Græcis mãdata posteritati: ne Paulo quidẽ indecorũ, aut ingratũ fuisse Dionysij studiũ hoc in scriptarũ meditatione: siquidem Adami prophetiam enarrãs, & magnũ elocutus esse mysteriũ modestè, & reuerẽter suã theoriã submittens: ego inq̃t

De enarratione rituũ et sacramẽtorum symbol.

 dico

dico in Christo, & Ecclesia: cùm nollet cuiquam alteri præiudicare, & theorias alias latêre, eruique inde posse innueret. Mitto in tanta luce, & præsidio, uigilias, lucubrationes, et non rarò dissensiones (ut in Conuiuij descriptione liquet apud Philonem) theropeutarum Marci discipulorum eadem tempestate florentium. Quapropter neque retractationes, & reprehensiones sententiarum quorumdam aliorum sanctorum minùs consentanearum traditioni Paulinæ, et Apostolicæ crebrò in Areopagitæ nostri his scriptis quēquā offendāt, quasi paradoxæ, et quæ in seculum illud non ceciderint. Non enim modestissimè solùm nominibus ubiq; Sanctorum duntaxat parcit, res ipsas considerans, ac damnans: uerùm intimus secretorum Paulinorum insuper custos, et ubiq; Apostolicam ostentare ualens traditionem, et commißionē humilimè se dissentire, & putare quæ sibi credita norat nō uno dicit loco. Quanquā ergo ex his satis intelligatur Dionysij Areopagitæ adoranda me herculè scripta, neq; præiudicare, neque detrahere de Titi, & Timothei summa laude, & scientia Christiana, neq; M. N. dudum inductorum sententijs repugnare: attamen uel Paulo iudice, & ijsdem interpretibus suffragantibus liceat probare illos tales nequaquam extitisse, etiam dum Ecclesijs essent præfecti, ut nihil acceßionis eruditio Theologica admittere posset. Nam quid illud (precor) exit, si M. N. duntaxat audiamus, quod extremo epistolæ

ad

ad Titum tertio cap. legitur: Cùm misero ad te Artemam, & Tychycum, fac uenias ad me Nicopolim, et cætera, præterquam, quòd licèt eum Cretæ præfecisset Archiepiscopum: attamen in rebus Ecclesiasticis, & officio suscepto amplius instituere uellet? Nõ enim ut otiũ agat, aut ut ambitiosus sibi comes existat ab Ecclesia, & ouibus eum suis cupit abducere: sed (quod Chrysostomus, Theophylactus, OEcumenius uno ore testantur) ut partim examinet, partim diligentiùs ad pascendi munus formet. Non enim frustra (teste uel Chrysostomo) ait: ibi enim statui hybernare: ac si dixisset: totam te ibi hyemem perdocebo, quæ tibi incumbunt munia. De sanctißimo Timoth. similia habem⁹ iјsdẽ arbitris in Paulo: nã primæ epistolæ cap. 4. extremo: dum (inquit) uenio attende lectioni, & iterum: noli negligere gratiam, quæ in te est, ac post: hæc meditare, in his esto: hæc autem omnia quem ad modum accipienda sint. i. M. N. intellexerint, uerbis Theophylacti aliorum uelu ti interpretis referam, quæ huiusmodi sunt: Si Paulus (inquit) iubet incumbere lectioni scripturarum, quid nos posthac facere decet? Quinetiam ipse Paulus ad finem usq; uitæ suæ legendis sacris incubuit, qui & alios ad idem studium cohortabatur. Addit uerò ei animum per hoc, quod dicit donec uenero: spem faciens ei uenturum præceptorem. Verisimile est enim quum esset iuuenis, multa ipsum ignorasse, egercq; ipsum præsentia Pauli, ut hæc disceret. ait

Theophylactus habet, diiudicam eum in rebus creditis.

itaq; interea usq; dũ uenero lege scripturas, & inde habebis, ut fieri potest legislatiões, et præcepta: simulac uerò ego uenero, ipse tibi reliqua suggerã. Sic eo loco Theophyl. qui paucißimis uerbis istis adeo immunuit opinionẽ plenæ, & absolutæ numeris omnib. in Timotheo sacræ doctrinæ: ut in Areopagita nihil simile ualeant unquã somniare. Restãt præterea scrupuli, atq; obiectiunculæ tres, & nonnullæ fortaßis aliæ diligentiùs singula perpẽdenti in Dionysij Areopagitæ monumẽtis occurrãt, quæ quidem ad nostrũ non pertinent institutũ, sed relinquẽdæ erant ijs, qui præstantißima opera erãt enarraturi, uel enarrauerint olim (tametsi id profeßi hactenus dißimulauerint omnia obstacula, uel quòd nõ uiderint, atq; aduerterint, uel non dubitauerint, uel quòd non sperarẽt nodos se posse commodè dissoluere, aut secare) attamen ne quidquã præterijsse uideamur, quod Grocinos nescio quos ad turpem, & futilem adigat recantationem, & illis refellendis postremò immorabimur. Ergo licèt 2. de D. N. cap. extremo, & H. E. 1. medio, & alibi adseruerit Dionysius se nihil uelle, nihil posse docere, quod è scripturis non didicerit: illic etiam uideatur agnoscere quosdam θείους ἄνδρας, à quibus diuinarum rerum perspicacitate, & intelligentia permultũ uincatur: attamen qui ex ipso capite aduertat animi mirabilem huius Patris submißionem, & norit hoc epitheton non esse solùm coæuorũ doctorũ Hierothei, & similium, quorum illum non dubitat lumen,

Tres reliquæ obiectatiunculæ.

Θεῖοι ἄνδρες, qui.

& solem adspici nescium nuncupare, & praeceptorē, ac ducē passim praedicare, & alijs omnib. discipulis etiā Apostolorū iudicio praeferre: uerūetiā Apostolorū facilè (ni fallor) agnoscet meritò aliquē anteponi Diony. Areopagitæ nō à se modò, sed qbuslibet etiā alijs. Quod ad scripturas attinet, c. 1. E. H. disertissimè, & admodū pulchrè ostēdit se hoc noīe uidelicet τῶν θείων λογίων cōplecti tā scripturæ expertē, quā scriptā traditionē: q, īde discere licebat, quòd eiusdē ca. principio pollicit' à scripturis totius Hierarchiæ naturā demōstrare: uix usquā scripturæ uulgo notioris meminerit, & nusq̄ nō traditionē allegat. Deinde uideri cuipiā haud satis attento, ac perspicaci queat eiusdē libri ca. 5. prope extremum sensisse Apostolos nō esse (quod dicitur uulgò) ordinatos in Archisymbolo illius extremæ cœnæ, sed ipsa demū Pentecoste: cæterū si isdē obseruet, qua de re agat Dionysius proximè praecedēte hanc salebrā loco, nēpe de iurisdictione cōmittēda, et missione cum potestate instituēda (q, scholis est notius) hoc est munere, et prouincia Apost. q̄ ab episcopatu, et sacramēto pōtificali differt: si consideret Spiritū sanctū adtulisse cum iurisdictione, et instrumēta promissa, atq; omnino necessaria: si praeterea Christū cùm posset noluisse suppeditare: ad hæc si notetur Dionysiū 10. Apostolos disertè in electione Matthiæ ante Spiritum missū uocare Hierarchas, seu Pontifices, atq; episcopos, dicere Matthiam in ordinem sacerdotalē cooptatum, & Petrū cum Hierarchā creauisse: quā

Secunda obiectio.

poterit dubitare adhuc, quin Dionyſius abhorreat permultum ab illo, quod propoſitum erat commento? Poſtremò igitur, & ſanè cum non minore difficultate his ſubijciatur ex ſeptimo E.H. capite, quæraturq́; quomodo uero ſimile uideri queat, Areopagitam Dionyſiũ ignorauiſſe cauſam baptiſmi infantium, & dicere ſuos præceptores antiqua uſos ea in re permittenda traditione: quod auctor lib. huius loco dicto habere legitur? Verùm ſi contrà locus inſpiciatur maximè in fonte lympidiſsimo, & incorrupto, ſeu Græco: nihil omnino perplexitatis reſidere uidebitur: Nam illud à me aliquoties dictum iterum, iterúmque eſt dicendum, atq; inculcandum: inter theologos Græcos plurimos, Dion. Areop. ut eſt maximè omniũ religioni noſtræ neceſſarius, ita minimè intelligi, defendiq́; è lacunis translationum poſſe, niſi falsè, deprauatè, ridiculè, ne à Græcè quidem callentibus: ut aliàs demonſtrauimus exemplis plurimis, & olim pluribus adhuc ſumus (Numine uolente) demonſtraturi. Reſponſurus igitur Dionyſius quæſtioni à B. Timotheo poſitæ de infantium initiatione, primùm quidem generatim adfirmat plurima eſſe in rebus diuinis, quorũ ne angeli quidem rationes habeant ſatis exploratas, ut quæ Numen ipſum tantũ non fugiant: deinde tamen de propoſita dubitatione ſeſe dicturum profitetur, & finẽ quidem rei non diſcuſſurum uniuerſum, quamobrẽ uidelicet baptiſmus ſit inſtitutus à Chriſto, ſed tãtũ modo

Tertia obiectio.

modo occasionem, et cõsilium Apostolicũ explicaturum, quo ducti ante annos idoneos sacrationẽ infantiũ admiserint: deniq; hoc etiã declarans duces suos .i. Apostolos cõtendit ab antiqua institutos esse hac in re traditione, hoc est, πρὸς τῆς ἀρχαίας μνηθέντας παραδόσιος, ac si dicas initiatos, & mysteria arcana edoctos per eã traditionẽ, quæ nõ sit pòst excogitata à quouis de uulgo, sed quæ prima sit, et fuerit fidei principio à Christo ipso prodita, et Apostolis singulariter cõmendata: nõ enim istã traditionẽ uocat παλαιὰν, quod propriè uetus, et annosũ Latinis sonat: sed ἀρχαῖαν, quasi ad uerbũ dicas, prĩcipẽ, principalẽ, quæ fuit ab exordio, principio nimirũ fidei, & religiõis Christianæ: quin & primũ minimè fictũ, simplex, et syncerũ usitatè apud Ethnicos quoq; scriptores ualet. Quãq̃ Ioã. Theolog⁹ in eadẽ re significãda nõ dubitet τῷ (παλαιὸν) uocabulo uti aliquoties, et passi ab initio, à principio, seu ἀπ᾿ ἀρχῆς factũ, dictũ ue cõtẽdat, q̃ iã inde ab Apostolorũ prima sit prædicatione fidelib. propositũ, & traditũ. Ἀδελφοί (inquit) οὐκ ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν, ἀλλ᾿ ἐντολὴν παλαιὰν, ἣν εἴχετε ἀπ᾿ ἀρχῆς. ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιά ἐστιν ὁ λόγος ὃν ἠκούσατε ἀπ᾿ ἀρχῆς, etc. quib. uerbis nõ cõmẽdat (ut plerisq; libet cõminisci) legẽ ullã latã à Mose, aut natura nobis insculptã, sed præceptũ aliq̃ priscũ, seu uetus: illud inquit q̃ habuistis ab initio, quod explicãs planiùs adhuc addit, præceptũ uetus est sermo, quẽ audiuistis ab initio. Quod

qui

quî detorqueri commodè in naturalem legem, aut Mosaicam queat, quî (inquam) dici non absurdè queant illæ auditæ à Christianis, & quidem ab initio non uideo. Nam lectionem, aut conscientiam nõ posse accipi hoc loco pro auditione, qua mandatum illud nouum, idemq; uetus sit acceptum: conuincant cùm alia eiusdem capitis consequentia, tum exordium epistolæ huius primæ, quod est huiusmodi: ὃ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, &c. ubi qui non intelligit initiũ Christianismi, exordiũ, & his tã multis uerbis idẽ prorsus inculcari: næ is cõmuni uideatur sensu carere, & à M.N. cõmẽtarijs ex diametro dißidere. Quòd si ergo Ioãnes sua ætate παλαιὰν uocet religionẽ nostrã: si Christi aut etiã suã, & fratrũ suorũ, Apostolorũ prædicationẽ constituat τὴν ἀρχὴν, & de primordio eius loquens, dicat ab, siue ἀπ᾽ ἀρχῆς: quantò minùs mirari debemus, Dionysiũ multis ab obita primũ Apostolorũ legatione annis lustratũ, Apostolicã, aut potiùs dominicã traditionẽ uocare nõ παλαιὰν (quod tamẽ cũ Ioãne faceret) sed ἀρχαῖαν: perinde ac si dicas (ut modò etiã admonui) exordialẽ, prĩcipialẽ, initialẽ? Nisi quis malit incorruptã, purã, putã accipere, quod uocabuli proprietatẽ, & elegantiã quoq; habere dudũ adseruimus, & ex Platone, atq; Demosthene Hesychius, & Suidas pro nobis demõstrent. Nam ab hac uoce (ἀρχὴ) quã toties usurpat 1. et 2. ca. Epist. suæ 1.

Ioānes adiectiuū hoc(ἀρχαῖος)quo genere fœmineo usus hîc est Dionysi⁹ Areo. deriuatur, ac formatur.

Atq; hoc quidē loco hactenus ὑπερασπισμὸν hūc stitimus: neq; quicq̄ occurrebat prætereà, q̄ calūnijs cuiusq̄ uideretur seruiturū: uerùm Deo, ac B. Dion. (ut opinor) uolētibus nos una hac opera oīa aduersariorū cauilla refellere, neq; quicquā idiotis, ac credulis lectorib. à nobis scrupuli relinqui, ac fieri reliquū, factū est hesterno die, qui fuit ad 4. Cal. Maias officio familiaris cuiusdā pridē è faucib. orci Saxonici erepti, & cōscij P.M. cōcessu nobis permißū cognoscere Hæreticorum scripta, itaque speciosißima quæq; eorū aßiduè nobis procurātis, ut noctuā illā, qua de antè egimus, artificē subdolæ appēdicis sacræ hist. Seueri Sulpitij adiectæ Matthiā Flacciū deprehēderim, et in obiectatiōes plures, et uerisimiliores (utpote ex operib. ipsis paßī sublectas) quib. Areopagitā suis libris priuare conatur, quā in hunc usq; diē usquā existimo êditas inciderim, atq; ita necesse habeā pro ratione susceptæ defensiōis, et illas antè refutare, quā proœmij istius longitudini īponamus finē. Nam licèt & Erasmi, & Vallæ præmittat suis scrupulos, & ineptias: tamē quòd friuola sint eorū omnia, & ab Hildiuuino ipso optimè quondam reprehensa, & nostra quoq; memoria à Godefrido Tilmāno: grauor, ac piget operam ludere, atq; actū agere in ijs denuò refellēdis. Quanquā aūt Germanicè tantùm expositas has substructiones uidere licuerit, latētes extrema ferè inuectiua (cui propediē

Confutatio duodecim cauillorum, quibus M. Flaccius Illyricus opera Diony. Areop. oppugnat in inuectiua in I. Fabrū, siue in refutatiōe Missæ.

Christo dante à nobis occurretur) in F.R. Ioannem Fabrum, uel potius defuncti uita librum de sacrificio Missæ, dicata non absque probro Austriacis, ac Bauaris quasi Illyricanis, aut Lutheranis: attamen cùm noster Illyricus nescire feratur Germanicè, & omnia sua, quæ hac lingua ipsius circum feruntur per interpretes è latino in Saxonicum idioma cudisse, iudicauimus non absurdum uisum iri nos facturos, si latinè ei respondeamus, & germanicè interpretādi cui libebit potestatem, ac copiam faciamus. Porrò si quis miretur, quid causæ sit, quamobrē uel hic, uel alij paßim admisceāt huiusmodi uenena alienis prorsus argumentis: in causa norit esse (quod dudum adseruimus) auctoritatem Apostolici huius Scriptoris Dionysij (inquam) Areopagitæ, & operum eius cùm in alijs controuersijs, tum in adsertione Sacrosanctæ missæ efficaciam, ac commoditatem. Verùm iam Illyricum audiamus cauillantē & Areopagitæ oppugnantem diuina monumenta.

Primùm (inquit) scriptor hic nequit Areopagita ille esse, quē res gestæ Apostolorum à Paulo affirmant ad Christi conuersum fidem, quòd crebram habeat mentionem monachorum. Atqui Orientales (ait) Monachi non ante 300 à Christo nato annum exorti sunt, ac cœperunt, quo tempore uiuebat Paulus, quem primum nuncupant Monachum. Huius autem discipulum fuisse istum Dionysium non est dissimile uero: Apostoli uerò Pauli nequaquam.

Prim

Principiò specta mihi Illyrici calliditatē: dū fingit, ac dißimulat Dionysium memoriæ prodere originem Apostolicam, & ex eorum traditione exponere uniuersa monastica Sacramenta, seu mysteria. Crebram(ait)mentionem facit: quin addis & institutionem referre, & cunctos profeßionis, atq; ordinationis illorum ritus cōmemorare, ac cæremonias? Itáne metuebas, atq; etiamnum metuis te nihil effecturum dolis tuis: persuasumq́; tibi quoq; est, maius esse lumen Historiæ Areopagiticæ, & uerißimæ librorum eius antiquitatis, quàm ut confideres te posse extinguere? Prudenter, quoniā diffidit rebus suis consulere, hosti cauet saltem cōmodare. Nam causæ uestræ, atq; odio sacrosanctæ Monastices non expediebat: ut Austriacis, ac Bauaris capiendis hac occasione instituti Monastici innotesceret Apostolica uetustas, ac dignitas. Sed expendamus & ratiocinationem. Orientales (inquit) Monachi trecentesimo post natum Christum anno demùm cœperunt: ergo Apostolicus uir non potuit Monachorum meminisse. Si concluderes, aut intelligas, Illyrice, de Orientalibus, de quibus propositum est, non refragamur: quærimus tamen quósnam dicas istos Monachos Orientales? Si nanq; quosuis accipias hoc nomine rectè, & meritò uocatos, qui usq̄ gentium Orientalium uixerint: si Alexandriam, Mareotin, Aegypti cunctos nomos, Græciam, ac Barbaras quoque paßim per orbem nationes (in quibus uixisse Mo-

 nachos

nachos Apostolorum ætate testatur, quem mox sumus adducturi testem, scriptor libro omnium maximè indubitatæ, ut statim apparebit, fidei) Orientis uocabulo complectaris: si deniq; non adstringas ad Eremitas, atq; Anachoretas, qui Pauli Eremitæ, aut cuiuscunq; alterius hoc fortè prioris institutum secuti sint in solitudine incolenda: quis illud, quod cō-fidenter sumis tibi cōcesserit, nempe nullos omninò Monachos, & quidem dignos eo nomine uisos, auditósue in Oriente? Vísne certißimam, & fide dignissimam proferam historiam, quò & tibi fides huius fiat? De Philone Alexandrino, Hebræorum disertissimo, adde & doctißimo, quid sentis? Potésne ne-
Li.2.E.H. gare eum uixisse cum Apostolis? Eusebij quoque
cap.16.& Pamphili narratio, qua eum congressum cum Apo-
Hierony.in stolorum principe D.Petro uult, quî tibi arridet?
Phil. uita. Postremò librum eius de Iessæis (ut uocat Epipha-
Nicep.li.2. nius) seu (ut hodie inscribitur, & Eusebij, Hierony-
ca.17. mi, ac Nicephori seculo inscribebatur) de Thera-
In Nazo- peutis, seu Icetis ecquid legisti? ecquid probas? ec-
ræis hær. quid de quibus loquatur, quos celebret tenes? Vin'
29. autem (si tamen nescis) scire quinam, ac cuiusmodi
Euse. E.H. fuerint illi, quorum copiosißimas ibi legis laudes,
li.2.ca.17. Therapeutæ, atque Icetæ? certiùs id nequaquam co-
Nicep.li.2. gnoueris, quàm primùm ex hisce ipsius Græcis uer-
c.16. bis ab Eusebio, & Nicephoro indicatis locis ad syl-
Hieron. in labam citatis: ἑκάστῳ δὲ (ait) ἔστιν οἴκημα ἱερὸν,
uita. ὃ καλεῖται σεμνεῖον, καὶ μοναστήριον, deinde ety-

molo-

mologiam ſubijcit: ἐν ᾧ (inquit) μονούμενοι τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται, & paucis interpoſitis: τὰς μὲν οὖν ἓξ ἡμέρας χωρὶς ἕκαστοι μονούμενοι παρ' ἑαυτοῖς ἐν τοῖς λεχθεῖσι μοναστηρίοις φιλοσοφοῦσι, &c. An hæc uerba non palàm arguunt Therapeutas eoſdem eſſe cum Monachis? Siquidem & Areopagita noſter utroq; nomine inſignitos ab Apoſtolis eoſdem aſſeuerat, & nominis rationes exquiſitiſsimas reddit. Ait (inquam) Eccleſiaſticæ Hierarchiæ auctor Areopagita Dionyſius, capite ſexto, Apoſtolos eoſdem Therapeutas uocaſſe, quos Monachos, quorum illo uocabulo etiam frequentiùs, ac libentiùs uidetur uſus. Deniq; Demophilum ita appellat inſcripta ei numero octaua epiſtola: Sed & Caius, ac Dorotheus alibi Therapeutæ, ſeu miniſtri, alibi Monachi in epiſtolis eius nuncupantur. Iam ut uerba, atque hiſtoriam Philonis aliò torquere audeas, ac coneris Iudæis Eſſænis, aut Eſſæis, aut Ieſſæis adfingere, quòd Epiphanium dicamus teſtari inſcriptionem uoluminis nuncupaſſe Ieſſæos, quos alij (ut hodie) Therapeutas appellatos affirment: primùm obijcimus peritiſsimum antiquitatum, ac linguarum patrem hunc adſerere Chriſtianos omnes ante iſtam Chriſtianorũ appellationem dictos fuiſſe Ieſſæos: deinde Ieſſæos interpretari ex Hebræo θεραπευτάς, ἤτοι (ait) ἰατροὺς, καὶ σωτῆρας: poſtremò & ipſum hũc Epiphanium ibidem, & Euſebium, & Hieronymũ,

& Nicephorum contendere non de aliis, quàm Christianis monachis esse accipienda: Eusebius sanè prolixè adserit, & obiectationes dissoluit, cuius sensa, ac fortasse uerba in suam historiam hac parte quoque transtulit Nicephorus. Quibus rectè expensis primùm Philonis hic liber grauißimæ auctoritatis habere pondus, ac certißimæ esse antiquitatis intelligitur: deinde intelligentia eius genuina comperitur: hinc Areopagita uindicat sibi opus suum à plagiariis: postremò nobis optimus datur commentarius ad Flauii Iosephi historiarum Antiquitatum quidem Iudaicarum lib. 18. cap. 2. Belli Iudaici autem lib. 2. cap. 12. Nam quæ ille ibi de Essæis, siue Essænis refert, iisq; duplicibus de Iessæis seu Christianis sunt accipienda: nisi quòd ut homo tunc adhuc fortaßis alienus à nostra religione mysteria, ac synceram ueritatem non uideatur assecutus. Quod & de Philone M. N. non dubitauerunt affirmare. Porrò ex eo quòd Iosephus (ut dixi) duplicis generis agnoscat Iessæos, perfectiores quosdam, alteros minùs philosophos, hanc habemus utilitatem: ut sciamus qui fiat, quáue ratione factum sit, ut Epiphanius Therapeutarum seu Iessæorum nomen commune faciat Christianorum omnium, alii monachorum duntaxat aiant esse proprium. Quanquam Eusebius, atque alii putent Marci Euangelistæ plebem Alexandrinam ita fuisse Episcopi sui disciplina, atque exemplo motam, ut penè nulli

non.

non,quæ Philo refert,præſtiterint. In quibus primùm paupertas uoluntaria, & facultatum omnium derelictio,ac diſtributio:continentiæ, ac Virginitatis loco fundamenti amplexatio, atque obſeruatio,obedientia ſumma præpoſito delata, & cætera myſteria,quibus initiabantur, ac perficiebantur,hoc eſt (ut Dionyſius loquitur) πάσαις ἀπετάσσοντο ταῖς διαιρεταῖς οὐ μόνον ζωαῖς,ἀλλὰ καὶ φαντασίαις,καὶ ὡμολογοῦντο, καὶ ἀφιεροῦντο,ſiue (ut nos loquimur hodie, Ioãne Sycopolitano Græco Scholiaſta interprete) profitebantur, conſecrabantur,& uotum caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ faciebant,tondebantur, ac ueſtiebantur. I nunc Illyrice,& inficiator Monachos notos fuiſſe Apoſtolis,aut eorum diſcipulis:& puta magnum te creare periculum Areopagitæ hoc commento tuo,ne diuinis libris ſuis orbetur:nos certè pergemus ei credere Deum ipſum monaſtices eſſe auctorem, Apoſtolos duntaxat promulgatores,ac præcones (ut ſic dixerim) extitiſſe.

Verùm tumidior,obſcurior,ab uſu recepto aliena magis,atq; Aſiatica eſt eius phraſis: quàm ut ea in Atticum ætatis Apoſtolicæ uideatur potuiſſe cadere,quòd illa Atticiſmus adhuc uiguerit, defloruerit autem, & in affectationē peregrinam degenerauerit 300.ferè pòſt anno. Primùm uiderint hîc ij, quibus Illyricus quàm mihi notior eſt,eiusq; in peritia ſermonis Græci profectus: ánne tenebræ potiùs Secunda obiectio Illyrici.

 in

in Illyrico ipso existere putandæ sint, quàm in Areopagitæ (quibus eas adfingit) scriptis. Deinde ut uel peritißimus sit suæ quasi linguæ: quî conuenit ut idem fingatur Asiaticus, & simul tamen obscurus? Habitus est à Pollione, et alijs ueluti Atticis M. Tullius Asianus: quis tamen redundantiæ, quam illi damnabant, dixit non deesse etiam obscuritatem? Nam Asiaticis ut loquacitas attributa est, et fortasse tumor, ac grandiloquentia: ita qui hactenus in ijsdem desideraret lucem unico te dempto non extitit Rhetor, aut auctor quisquam. Quis enim obscuritatem, ac ieiunitatem, ac breuitatem Sallustij unquam insimulauerit Asianismi? Breuis esse laboro (ait poëta) obscurus fio. Et usitata loquēdi formula, expone pluribus, rem altiùs repete, &c. lucem adscribit copiæ, & prolixitati. Verùm Illyricus tumorem, ac iactantiam tantummodo Asiano nomine intellexerit. Responde ergo Illyrice, num tibi iactantia uideatur res sacratißimas, et (ut Paulus uocat quibusdam non contemnendis interpretibus inter græcos) ἄῤῥητα quàm elegantißimis, & Atticis uerbis condecorare, atque efferre? Deinde nō ignoras, qui uelut araneus è sacratißimo Dionysij Areop. thymo tam laboriosè quæsiuisti uenenum, & Atticum mel in Asianum fel trāsformare sategisti: cū ubique ὑμνεῖν, καὶ ἀνυμνεῖν, ἀποδεικνύναι, ἢ ἀποδεῖξαι res nostras, atque arcana in tertio audita cælo è Pauli hausta pectore, Atqui de rebus huiusmodi, et quidē apodicti-

co, seu

co, seu demõstratiuo genere sermonẽ instituere triuialem, non opinor quenquam eloquẽtiæ professorũ approbaturum. Ad hæc quî fieri poßit disertißime mortaliũ: ut res à captu uulgi remotißimæ ullis exponantur uerbis ita, ut nõ sint causaturi obscuritatẽ idiotæ, et tantũmodò literatores, aut grãmatici? Scripsit Arist. sermone proprio, & uel inprimis Attico (si qua fides Ciceroni) et plerunq; genere didascalico, charactere humili: qs tamen literatorũ hodie et seculis alijs in Atticißimo, & eloquẽtißimo stylo nõ offendit tenebras? De Platone quid dicam? nomina scriptorem magis Atticũ, eũdemq; magis obscurum. Quid causæ Illyrice? Quãdo te obsecro uixit tandẽ Plato? Quæ nox scriptis illius incubet, uulgò iactatũ illud, Delio urinatore, et, Platonis numeri, satis declarant. Quã igitur reddes nobis rationem obscuritatis: nũ serã potiùs ætatem, q̃ rerũ sublimitatem? De Iãblicho, Numenio, Proculo, Plotino, alijsq; Platonicis infidelib. nihil dicã: Philo Hebræorũ disertißimus, et de quo olĩ, atq; etiã nũc fertur: ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, unus cõtrouersiæ sit arbiter. Credo in confesso esse nobis Apostolicæ ætatis uirũ eum esse Platonicum, atq; ita etiam Atticũ nemini nõ est persuasum: nũ igitur is Platonicæ expers est difficultatis, ac perplexitatis? Nũ ille Asiaticũ istis Criticis nihil uidebitur sapere? Certè mihi nõ imo gradu cothurnum Areopagiticũ solet uideri

 superare:

ſuperare: & hunc medio illum ſublimi ferri uolatu. Faciat in Therapeutis, qui uolet periculum: & fatuum me profitebor ſi cuiquam haud factioſo appareat diuerſum. Nam licèt principio deprecetur humilioris, quàm deceret Therapeutarum uirtutem orationis inuidiam: tamen tantum non ligata uidetur decurrere oratione, eáque magnificentiſsima. Id quod hemiſtichium heroicum ſyllaba dempta, et præpoſitionis poſtpoſitio in duobus primis libri uerbis Εσσαίων περὶ ſatis arguit. Quare incorruptior eſt Euſebij Pamphili ſcriptoris hauddubiè eloquentiſsimi de Philone cenſura poſita lib. 2. E. H. cap. 18. a. his uerbis: Πολύς γε μὲν τῷ λόγῳ, καὶ πλατὺς ταῖς διανοίαις, ὑψηλός τε μετέωρος ἐν ταῖς εἰς τὰς θείας γραφὰς θεωρίαις γεγενημένος, &c. Quæ cùm ita ſint, Philo erit Illyrico Atticus, Platonicus, Apoſtolicus ſcriptor: & Areopagita Aſianus, affectatus, recens iiſdem de cauſis. Sed uide mihi Diabolicam, hoc eſt, hæreticam & hîc conſtantiam in diuinis hiſce oppugnandis Areopagitæ operibus. Hactenus ut Platonica, ac proinde Attica exibilata fuêre à Luthero, Caluino, & eiuſdem farinæ perduellibus: nunc uerò, quia illa non ſucceſsit commentum id uia: Attica Illyrici eloquentia Saxonicis tamen freta uerbis, pro Aſianis bullis exploſa cuperet. Verùm (inquiet fortaſsis) Platonicū non ſtylo, ſed argumento & theoriarum figmentorumque ſimilitudine, atque inanitate putarunt

illi

illi appellandum. Quantò autem syncerius erat sub limitatem, & elegantiam causam fecisse similitudinis: quam M. N. & eruditißimi superioris, ac nostræ memoriæ Platonici agnouerunt tantam, ut Platoni ipsi præferre non dubitauerint, in his M. Ficinus, & A. Camaldulensis cognomento Orator merito Græcæ eloquentiæ, & librorum istorum diuturnam suppreßionem, minoremq́; quondam familiaritatem Platonicis dudū nominatis tanquā plagiarijs, aut cōpilatoribus adscribere? Quid autē attinet uerbosè huc congerere epigrāmata à uetustis Græcis Poëtis Dionysij operibus celebrandis dedicata, & etiānū præfixa: ut Asiani fastus crimē, elegantiæ, eloquentiæ, Atticæ grandiloquentiæ legitimum ab omnibus intelligatur decus? Quid Nazanzeni citem testimonium perhibitum Dionysij scriptis uel doctißimo Budæo in Græcæ linguæ commentarijs teste oratione de Christi natali tanquam exemplari summi dicendi generis? ὃ (ait Nazanzenus) καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν περιφιλοσοφῖται (capite 7. de diuinis nominibus sub extremum) κάλλιστά τε καὶ ὑψηλότατα. Quid laborem id prolixè uel è Nazanzeni conuincere productis uerbis, & disputationis materia? Sed & huius quasi Asiatici hominis fides habebitur leuis: quòd Theologia in qua totus est, undeq́; nomen promeruit, uetuerit eum accommodatißimè ad captum popularem differere, & non rarò natiuum acumen adsur-

gat in Maiestatis diuinæ uenerationẽ. Omittã ergo et Metrodoros, & Hildiuuinos, ac Syngelos & Damascenos, et Pachymeras, et cæteros scholiastas, atq; encomiastas pro testimonio dicendo adducere, ac quæro tãtũ quo argumẽto doceas, recẽtiores græcos nõ simplicius, atq; aptius q̃ ueteres, sed affectatius, ac magis Asiaticè scripsisse, et esse locutos? Vtros enĩ putas pro te facturos, Theologósne, an alios, an infideles? Quãtũ ego uideo, et materia proposita requirit de Christianis, ac Theologis propriè sentis, et es locutus. Videris ergo ut tibi tua affirmatio sibi constatura sit de prophanis, et ethnicis: de Theologis dispiciamus. In manib. penè oĩm φιλελλήνων Theologorũ Ioãnes Cantacuzenus, Ioan. Zonaras, Ioãnes Sycopolitanus, Maximus, B. Germanus, Ioannes Damascenus, Theophylactus, Oecumenius, M. Syngelus, Theodoretus, Chrysostom. Gregor. Nyssenus, Nazanzenus, Basilius, Eusebius, Socrates, Sozomenus, Euagrius, Epiphanius, Cyrillus Ierosolymitanus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Iustinus Martyr, Hippolytus, Iosephus, Philo, & nonnulli alij, qui nunc non succurrunt memoriæ: horum autem quis neget hos esse obscuriores, & (penè dixerim) affectatiores, quàm sint illi? Quid Cantacuzeno, Zonara, Damasceno, Germano, & cæteris fingi potest humilius, apertius, ac simplicius? quis autem nescit esse è recentiorum numero? De Philone satis puto dictum: Iosephus Thucydidẽ poëticæ dif-

Niceph. li. 2. cap. 18.

ficultatis

ficultatis scriptorem imitatus, ac fortaßis in cõcionibus excellens quo posterorum non est impeditioris intelligentiæ? Clemente Alaxandrino, seu (ut alij malunt) Athenienſi (tametſi Alexandriæ egerit presbyterum, & catechistam) quis reliquorum picturatior? Iustino Martyre, Hippolyto, Irenæo, Origene nihil uidetur facilius. Rursum Eusebio, Nazanzeno, Nysseno, Theodoreto nihil magis atticum, elegantiúsue hominibus diuersæ ætatis. Basilio & Chrysostomo nihil ad intelligentiam accõmodatius, ac simul facundius. Vnde liquet non esse seculorum diuersitatis clariorem obscurioremue stylum: ut usum quorundam uocabulorum, quæ mutationes imperiorum, & cõmercia aliarum, atq; aliarum gentiũ, aut etiam inuentiones rerũ antè ignotarũ tulerũt. Sed expecto Illyricani cõmenti ab auctore demõstrationẽ: atq; ad 4. concedã obiectationẽ. Nã tertiæ est iã à nobis antè abũdè respõsum. Ergo quarto loco negat Illyricus in Græcis exẽplaribus, atq; antiqua uersiõe, Ioãnis uidelic. Scoti, nõ haberi quod in Ambrosij Camaldulen. noua uersione legatur nẽpe Timotheę: itaq; homo sedulò, ac meritò suspicax nõ dubitat, quin id sit à papista quopiã insertum, ac suppositum, quemadmodum & alibi factum deprehensu foret perfacile (inquit) si uetera nobis obtingerẽt Græca exẽplaria, quæ cũ latinis liceret cõferre. Vnde primùm liquidò apparet catholicis: qd eiusmodi interpretib. correctorib. collatoribus,

Epipha. in Secũdianis hæres. 32.

3.

4.

Scholi-

Scholiastis, & cæteris sit habēdū fidei: quoties uete res nobis è suis obtrudūt officinis. Deinde quòd ait priore dūtaxat loco, nō imus inficias: nimirum neq; in Græcis exemplaribus tam Florētino, quàm Basilien. neque in Scoti conuersione, neque Saraceni etiam Timothei nomen in cōtextu esse expressum, licèt Antonius Vercellensis in paraphrasi, et Dion. Ricel in cōmentario reperisse queāt uideri: siquidē disertè (ò Timothee) exprimāt. At neget, si potest, Illyricus tā in Græcis, q̄ uersionibus omnibus libros Timotheo, & quidem Ephesino Episcopo libros plerosq; omnes inscribi: neget principio mysticæ Theologiæ nominari, ne quid de epistola ad B. Titū dicam: neget interpretes, scholiastas, paraphrastas, Encomiastas ad unum omnes id testari: neget denique libros ipsos, qui mutuis citationibus ueluti cōnexi sunt inter sese, hoc ipsum flagitare, & cunctos fateri cogere. Nam 1. de mystica Theologia refert apophthegma Apostoli, ac Diuini Bartholomæi, eumq; dicere ait: Theologiā simul & prolixā esse, & breuem, & succinctam, & mox dictum hoc mirabili sensu interpretatur, hoc est, Apostolico familiari, & discipulo digno. Nam qui hic scriptum, quàm auditum uerbum maluerunt intelligere: fortaßis nugas, immò impietates Carpocratianorum, Cerinthianorum, Merinthianorum, Hebionitarum, Nazoræorumq; contra antiquam P. M. Gelasij interdictum pro genuino Bartholomæi monumento &(ut ait

Vide Maximi Græcam in scholia sua, & Camald. Ambrosij præfationē in suā uers.

Epipha. Hebione et Cerintho.

D.S c. Sancta Rom. Ecclesia.

& (ut ille ait) germana euangelistæ Matthæi planta non uerebuntur recipere. Quid quod 2.cap.de D.Nominibus producto Pauli uerbo ex 1. Corinth. 8.communem & præceptorem, & ad illuminationem Cheiragogon, quique eos ueluti manu ad baptisma perduxerit, nuncupet? Quid quòd initio cap.7. communē sibi & καθηγεμόνι suo Hierotheo eundem Paulum lætitiam uocet, et solem? Quid multis in re hactenus ubique confessa? Eiusdem lib. cap. 3. & Petro, & Iacobo fratri Domini seu Iusto unà cùm Hierotheo, & cui scribit Timotheo se Ierosolymis adfuisse scribit: & Hierotheum ita tradit disseruisse, ut secundum Apostolos primum Theologorum eum esse iudicauerint omnes. Sed hoc mox opportuniùs moneatur. Quare pro sola hæresi tua Illyrice, reijce exemplaria græca, & latina in uniuersum omnia: redde suspectas ueteres historias cunctas: opera denique ipsa uniuersa (quòd hactenus non uideris ausus, confidens fortè te aliquid inuecturum caliginis ueritati) aut Apostolicum, aut amicū, aut doctorem germani illius Filij Timothei scriptorem istum Dionysium fatearis Areopagitam. Nam si παῖδος te nomen adhuc angat, et mordeat post du dum disputata de eo abs te iam cognita: forsitan te persanauerit, quod eodem loco 1.cap.7.E.H. extremo τὸ ὦ παῖ, τῷ ὦ φίλε subiuncto continuò non obscurè interpretetur. Vsqueadeo probabile facit Papistas ex se mensus Illyricus: nos auctorib.

ueteribus Græcis, ac Latinis deprauatis abuti ad orthodoxiæ adſertionem. Porrò agnoſcit auctor librorum iſtorum (inquit) non Hierotheum quendam tantùm (ut modò indicatis locis aliquot eſt à nobiſmetipſis indicatum) uerumetiam plures alios præceptores, qui ab Apoſtolis hauſerint, ac ipſi deinde tradiderint: quo fit (arbitro Illyrico) ut poſt Apoſtolorum memoriam, & quidem magno interuallo uixerit Dionyſius. At mirum eſt hîc (ut illud primò diſcutiatur) auditores Apoſtolorum potuiſſe tradere poſteris 300. pòſt, aut circiter anno uenturis. Nam ad hoc tempus Areopagitam redigis: & palàm de uiuæ uocis traditione ibi ſermo eſt. Deinde neſcire te nō arbitror ex 2. et 7. Eccleſiaſt. Hierar. capite, cuiq; catechumeno, ac neophyto καθηγεμόνα ἢ ἀνάδοχον eſſe aßignatum. Num uerò dubium eſt cuiquam, quin pro initiādi cōditione, adhibitus ſit (ut ſic dicam) par, congruénſque pædagogus, ac præceptor? Certè et antiquitas, & res ipſa, hoc eſt, libri iſti etiā inquis iudicib. perſuadeant Areopagitā ſeu auctorē eorū fuiſſe philoſophū eximiū, et eloquentißimū. Cæterùm ſi B. Dorotheus abs te uocatur ſub examen, ac ferulā, nec recipias teſtimonium quod ei fert Dionyſius cùm alibi frequēter, tum 3. lib. de D.N. ca. at hymni & uerba ex Stoechεoſibus ipſius, aliiſq; ſcriptis adducta ibidem fidem cuiuſuis merentur. Quid ergo mirū Illyrice A. Dionyſiū potuiſſe per eū nō mediocriter proficere, ita ut meritò

Quinta obiectio.

pro-

profectum cum liberè agnoscat: quem & Apostoli, & Theologi cuncti tantùm non Apostolis æquabant diuinarum rerũ sensu, ac cognitione? Quid uerò hoccine tantã, atq; omnem habet absurditatem: quòd plures habuisse se fateatur, quorũ opera profecerit in rebus Christianis? Num is, qui ita Paulum biennium totum audiuit (ut dudum est uberiùs expositum) ut & Hierotheum, & Bartholomæum, & Iacobum Iustum, & Pontificem Apostolorum omniũ, & cæteros θεολογοῦντας nihilominus audisse se affirmet, ideoq; eorum quoq; opera non pauca addidicisse: quid mirum si ex Barnabis, Silis, & id genus Apostolicis alumnis se accepisse quædam quasi magistris ingenuè profiteatur? Verùm quòd ais uerba Dionysij significare interuallo eum magno secutum ætatem Apostolicam, id tibi pernegamus. Locus, quem in primo capite deprauas, continet descriptionem duplicis scripturæ diuinæ, & hisce constat uerbis: Σεπτότατα δὲ λόγια ταῦτα φαμὲν ὅσα πρὸς τῶν ἐνθέων ἡμῶν ἱεροτελεστῶν ἐν ἁγιογράφοις ἡμῖν καὶ θεολογικαῖς δεδώρηται δέλτοις: καὶ μὴν ὅσα πρός τῶν αὐτῶν ἱερῶν ἀνδρῶν αὐλοτέρᾳ μνήσει καὶ γειτονίπως ἤδη τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας, ἐκ νοὸς εἰς νοῦν διὰ μέσου λόγου, σωματικοῦ μὲν αὐλοτέρου δὲ ὅμως γραφῆς ἐκτὸς οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ἐμυήθησαν. Vbi primùm suos cathegomonas ex Apostolis (ut & ipse interpretaris diuinos uiros, & entheos hierotelestas)

uiua(quod dicitur) uoce ſcripturas quaſdam ſeu oracula hauſiſſe. Qui autem iſti cathegemones dudũ dictum eſt. Nam & ad ſuſceptores, & magiſtros quoslibet, & nonnunquam Apoſtolos ipſos refertur, teſte Sycopolitano (ut unum è multis nominẽ) ad 7. E. H. caput extremum. Quod cùm ita ſit, licebit Illyrico fingere hoc loco uel mutos, uel admodũ ſeros præceptores, neq; ulli interpretum, tam Græcorum, quàm Latinorum licebit de proximè Apoſtolicis intelligere diſcipulis. Sed quo tandem argumento? quo colore? qua ſpecie? Equidem legens, ac relegens caput totum, nihil potui obſeruare, quod pro Illyrico torqueri aliò uideretur poſſe. Quare præſtolabimur non tã Illyrici, quàm Saxonici iſtius commentatoris probationes, nec his quicquam amplius addemus in præſentiarum: præſertim cùm iam antè reſponſum ſit abundè argumento, quod ex 7. capite fortè quibat produci, cui tamen additã uelim confirmationem petitam ex phraſin ſimilem enarrantis Euſebij Pamphili, & Nicephori exemplari, & præſcripto. Cùm enim Philo uolumine, quo de antè pluribus: expoſuiſſet rationem, quam Therapeutæ ſequerentur in ueteris inſtrumenti enarratione, ac dixiſſet pro exemplaribus, & archetypis ſibi proponere συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, qui fuerint τῆς αἱρέσεως αὐτῶν ἀρχηγεταὶ γενόμενοι, ſenſaq; haud diſsimilia eruere, ſententiamq; quaſi collimare: ſtatim Euſebius, & eum ſecutus

Lib. E. H. 2. ca. 17. & 16.

Nicepho-

Nicephorus ἀρχαίων (eo enim uerbo utitur, cùm Philo priùs illud habeat) illa ſyngrammata Euangelia putat, et Epiſtolas Pauli cùm alias, tum eam, quæ ad Hebræos eſt miſſa. Quãdoquidẽ ea plurimæ prophetiæ explanentur. Quòd ſi igitur Marco, ac Petro uiuentibus, Philoni Euangeliſtæ, Paulus, ac cæteri Apoſtoli, qui quicquam literis mandârunt rectè dicebantur παλαιοὶ interpretibus his hiſtoricis: ſi his cõgruenter ijdem dicti fuère ἀρχαῖοι: quæ precor inuidia eſt, cur Dionyſius Areopagita de libris ſuis periclitatur: cur poſſe explodi uidetur, ſi uel Apoſtolos (ut ex Sycopolitani ſententia ſuprà adſeruimus) uel ſuos hos ueluti hypodidaſcalos dicat quicquam edoctos πρὸς ἀρχαίας παραδόσιος. Cur (inquam) hæc antiqua, uel princeps traditio, putatur alia quàm Apoſtolica, uel à Chriſto ipſo, ſeu Spiritu ſancto ſuggeſta? Enimuero ueniamus ad reliqua, quibus pergit Illyricus Areopagiticæ ueritati obſtrepere. Paulus (inquit) ubi Areopagitam conuertiſſet Athenis, inde digreſſus Corinthũ, ibi biennium fermè exegit, ac deinde Epheſijs informandis totum impendit biennium ut actor. 17. 18. 19. ac 20. perſpicuum fit. Hæc autem loca cùm uicina ſint Athenis Paulus Dionyſio, ſi quicquam uoluiſſet diſcere ad manũ, & ueluti domi uerſabatur, quo ſpacio uir intelligẽs, atq; eruditus permulta diſcutere, atque addiſcere queat. Quare neque Dorotheo (inquit) neceſſe habuiſſe ſe in diſcipli

Sexta obiectio.

nam tradere, de cuius singulari eruditione nihil extat, imò ne nominatur quidem, neq; operum istorũ auctorem Areopagitam esse habendum, ullam mereatur fidem. Nos autem Illyrice iam ex bona parte his respondimus nuper antequam omnino ad manus nostras deuenissent iam quinquẽniũ êdita cauilla tua. Nam diximus Paulum non tantùm in uicino Athenarum fuisse uersatum: sed totum quoque biennium eius asseclam Dionysium fuisse, ac mystam: huicq;
2. Cor. 12. 4. communicasse illum cùm alia multa, tum arcana illa uerba, quæ alibi ἄῤῥητα Paulus ipse nuncupat. Interim non omnia perdiscere potuisse affirmamus, ne pædagogia quidem B. Hierothei fretum, nedum (quod tu uis) suo unius Marte cũcta ualuerit cognoscere, ac scire. Num enim putas Apostolum uni iam initiato semper potuisse aßidere, ac uacare: quemadmodum seruum istud pecus solet pædagogorum nobilitatis: & non plurima doctißimo Hierotheo tanquam hypodidascalo, ac submonitori commisisse diligentiùs tradenda? Nam Paulum 2. de D. N. capite, suum baptistam diximus superiore disputatione facere uideri: Hierotheum certè ubique facit suũ susceptorem, & in Christiana fide de more Apostolico formatorem. Quin neq; Episcopis suos defuisse
Nicep. lib. 12. cap. 14. monitores ac doctores Historia Nectoriana, quæ ei Cyriacũ Adanæorum Antistitem præceptorem functionis Episcopalis adsignat, uel sola persuaserit. Atqui & Dion. à Paulo constitutum diximus alibi

Hilduini

Hildiuuinum referre ex traditione. Neque mirum uideri debet, Diuinum Areopagitam per biennium nequiuisse nostra sacramenta, sola Pauli auditione percipere, eguisseq; eam ad rem opera præceptoris: cùm ne Angelos quidem omnia nosse in confesso sit, talia (inquam) qualia Dionysius penè sola tradit. Nam ne Melanchthonē quidem quantumcunque doctum, et laudatum à Luthero, uidemus friuola, & paucissima illius commenta ita potuisse ediscere: ut nihil haberet Illyricus cum VVigando suo, & cæteris, quod inquirerent, imò palā exploderēt. Quid autem de Hierotheo constet paulò antè est à nobis ostensum: & arguit hæc uerba tua esse hominis non temerarij tantū, uerumetiam malitiosi, & cognitæ ueritatis oppressoris, ac inficiatoris. Verùm de hoc capite, & tota 7. Illyrici cauillatione nuper disseruimus perquàm prolixè. Ad 8. ergo ueniamus, quæ partitione tēporum, Ecclesiarū, oratoriorūue Christianorum in altare, chorum, & partem alterā, quæ plebem reciperet abutitur in Areopagitæ negādis uoluminibus. Nam Illyricus 100. demùm à Christo nato anno Christianos extruxisse contēdit templa, eaq; admodū simplicia, expertia omnis discretionis receptaculorū: Apostolorū autem ætate in ædes tantummodo conuentū fuisse, alienas ab omni distinctiōe partiū. Hæc quidē Illyricus cōfidēter sumit: at probatio, quā maximè decebat adhibere subuersioni receptæ opinionis, nulla unq̄ apparet. Sed nullam

Id ipsemet dicit 7. ca. E. H.

Obiectio 7

Obiectio 8

ſuppetiuiſſe Illyrico uel ſpeciem rationis cuiuſquã cõtrà eſt breuiter oſtendendum. Primùm ergo quis neceſſe eſſe dicat, ut quia prima Chriſtianorũ Oratoria alicubi priuatarum domorum haud diſsimilia fuerint, idcirco nullã admiſiſſe diſcrimen, aut diſcerniculum? Quæ enim tam exigua eſt uel caſa, uel uile tugurium, quod prorſus careat interſtitio, ſepto, atq; obſtaculo? Quãtò igitur hoc minùs temerè erat aſſeuerandum etiam de templis ædibus ſaltem amplioribus, tametſi adhuc humilibus, ſi cũ poſtera conferãtur magnificẽtia? Sed antiquitatis Eccleſiaſticæ fidem, atq; auctoritatem poſtulabit aliquis: & quia de Dionyſij uerbis eſt cõtrouerſia, nulla eius traditionis habenda uidebitur hoc loco ratio. Agè igitur Philonis librũ dudum nominatũ, & collaudatum, et Apoſtolicæ teſtificationis eſſe probatum rurſus pro teſtimonio adſciſcam, & eius affirmatione ſola me uindicaturum perpulchrè orthodoxiam confido. Nam in eodem illo libro priuata quidem σεμνεῖα, & monaſteria nominat, in quibus ſinguli tota hebdomade ſecũ philoſophati fuerint: at tamẽ σεμνεῖνον (ut hodie Turnebi Græca habet editio) ſeu σεμνεῖον (ut Euſebius citat) aliud conſtituit, in quod ſeptimo quoque die ſe tantùm receperint quod in ἀνδρῶνα ſeu uirorum, καὶ γυναικωνῖτιν ſeu muliebrem concionem diſcriminatum fuiſſẽ ſcribit. Sed & pòſt referens peruigilia paſchalia è Therapeutis duos fieri choros ait. Deniq; ἱερὸν πρόναον, id eſt, ſacram templi

E.H.lib. 2. cap. 17.

tẽpli priorẽ partẽ ibidẽ aßignat, in quo ſit τράπεζα ἱερὰ, hoc eſt, menſa ſacra, quæ azymũ cõtinuerit panem cum ſale exortibus cleri negatũ, et ſacerdotibus tanquam melioribus ſolis prærogatiuam. Hæc ſi templa Chriſtiana nonnulla ſaltem nõ habuerint ullum ſepimẽtum inter clerũ & plebem: expone Illyrice, ac oſtẽde nobis q ualeãt aliter intelligi. Mitto προέδρου, id eſt, præſidis, καὶ προεστῶτος ſeu præpoſiti nomẽ, quorũ illo Philo, hoc etiã Iuſtinus utitur, non obſcurè idipſum innuere, & diſcriptionem precationũ, et concionũ, quæ ex 2. περιβόλοις, atq; ambitib. modò expoſitis exaudiebantur à reliqua multitudine. Porrò τράπεζα illa ἱερὰ, ac ſacra pro[illegible] menſa altariũ catholicorũ uetuſtatem corroborat. Nam mẽſam aliud nihil eſſe, quàm altare, eoq; nomine dici etiam lapideam aram ex Malachiæ 1. et Ezechielis 40. eſt certißimũ. Nam altare eodem nomine uenit à Paulo. 1. Cor. 10. de Hebraica, ac patria conſuetudine, qui tamẽ ad Heb. 13. altare, ac thyſiaſteriõ nobis eſſe teſtatur, hoc eſt, Græcis Theologis interpretibus catholicæ ſignificationis arã. Verùm de his plurib. ex profeſſo egim⁹ in Neocoprianorũ reprehẽſione. Quare præſtat ad id, quod proximè obijcit progrediamur. Ergo Ioannem Euangeliſtã in Traiani principis imperium plus minus 100. annos à Chriſti ortu uixiſſe non negamus Illyrico: in Epheſinis quoq; finibus ut plurimum tranſegiſſe uitam nõ abnuimus: at Timotheum ſectatorẽ, aut diſcipulum *Nona obiectio.*

pulum ipsius fuisse multo tempore probari nobis poscimus, cùm Timotheus antè uita defunctus Ioannem in Ephesina sede habuerit (ut alibi à nobis demonstratum est nuper) successorem. Deinde ut Ioannes Episcopo Timotheo ibidem fidem adnunciauerit, et illi adfuerit collega: attamen iustam fuisse rationem Timotheo requirendi hanc operam Dionysij iam satis est à nobis antè confirmatũ. Nã ad confutatiõem philosophorũ, quibus cum congrediendũ erat aßiduè Ephesino clero, & præcipuè Episcopo Dionysium non quemlibet alium multũ ualuisse cõferre, indidẽ est ex antiquitate relatũ. Quare quæ propriè Christianorũ sunt intelligentiã oraculorũ, Numinis uoluntatẽ, dogmatũ nostrorũ certitudinẽ ex Ioãne potuisset Timotheus, si præsentẽ habuisset, discere: at ea, uel alia quædã philosophicè explicata, et ad congressum cũ ijs accõmodata. i. elegãter, propriè ac methodicè tractata, etiãsi per Spiritũsanctũ præstare alioquin idiota potuisset, attamen proculdubio effecta dare recusasset, et per se nesciuisset. Cæterũ licèt iã dudũ plurima sint dicta aduersus

10. Obiectio. impudẽtiã mẽdacij Illyrici, quo nõ erubuit affirmare ab Areopagita 5. cap. de D. N. citari Clementem Alexandrinũ nomine Clemẽtis philosophi: attamen q̃a hîc magis detegit fretus lectoris idiotæ, & tãtũmodo germãicè callẽtis simplicitate, imposturã suã, repetenda est hæc pugna. Ait ergo Dionysiũ dicere

8. Stromatum extr. Clem. Alexandrinũ opinatũ exẽplaria rerũ principalia

palia, et hoc esse (ut se Dionys. ipse exponat) ideas, seu formales causas esse relatiuas, & argumentũ id dialecticũ esse: atq; ideo de Alexandrino Clemente, q ducentis post Christũ annis uixerit solo posse intelligi, qui fuerit magnus Philosophus, et plurima de rebus dialecticis paßim scriptis suis admiscuerit, et extremo Stromate 8. illam disputationem institutã reperiri Clemēti negari non posse ab ijs, qui loca cõferãt utriusq; auctoris inter sese. Siquidem hic Clemens quasi solus philosophus eo loco doceat causam efficientem, materialem, formalē, & finalē esse relatiuas seu ad aliquid. Pontificē autē Rom. neq; philosophũ fuisse, neq; adeò singulari præditũ doctrina, neque deniq; sic, philosophũ puta, usq̃ nominari. Primùm ut retrogrado ordine cancri huius cõsutos refellamus, detegamusq; dolos: de eruditione Clementis et quidem philosophica cũ libri ipsius, maximè libri recognitionum, tum antiquitas Ecclesiastica copiosum perhibet testimonium. Etenim Nicephorus à uarijs Clementem artibus sibi laudandum iudicauit, & (quod amplius est) commentarius ad Philippensem D. Pauli epistolam hactenus Hieronymo adscriptus, & ab ijs, qui eum Hieronymo adimunt in eandem tamen relatus ætatem, cui Primasius, & Sedulius adstipulantur ijsdem penè uerbis in capite 4. enarratione dicit Clementum hunc Episcopum Romanum ex philosopho magnæ doctrinæ uirum euasisse. Adeò uerum est eum nusq̃ dici Philosophũ, aut Li.3.E.H. cap.28.a.

Philoſophum non fuiſſe. Verùm hanc rem priùs accuratiùs diſcußimus: neq; ut (ibidem teſtati ſumus) nos quoque nobis perſuademus P. M. hunc ab Areopagita ibi intelligi, ac reprehendi: tametſi & interpretes quidam, & cum Commentatoribus quibuſdã etiã eruditißimus M. Ficinus refragetur. Prætereà & hoc cõcedimus Illyrico, multum eſſe Clementem Alexandrinũ in mẽtione dialectices, præſertim extremo illo 8. Stromate: atq; ibi de cauſis etiã loqui relatiuis, quæue cũ alijs cõferãtur. At idẽ uelle Dionyſiũ, idem reijcere, ſentire, q̃, affirmat Illyricus eũ uelle, quomodòue illũ ſe cõtendit interpretari, hoc eſt, quod falſißimũ dicimus, & ſplendido adſeri aimus mendacio. Quod ut lector intelligat, Dionyſij græca adſcribã uerba, et ſenſum è M. N. cõmentarijs depromptum, & filo diſputationis congruentißimũ ſubijciam: ut uideat, qua perfidia, aut inſcitia iſti nouatores uerſentur in ſanctorum monumẽtis. Εἰ δὲ igitur (ait) ὁ φιλόσοφος ἀξιοῖ κλήμης καὶ πρός τι παραδείγματα λέγεσθαι τὰ ἐν τοῖς οὖσιν ἀρχηγικώτερα, &c. Si uerò (inquit) Philoſophus ille Clemens uelit ad aliquid exemplaria quoq; dici eas res, quæ in ijs, quæ ſunt magis principalia exiſtunt &c. Diſputat Dionyſius aduerſus Platonicos, qui ita Deum omniũ rerum cauſam conſtituebant; ut ideas, & paradigmata quædam rerum principalia cauſas uellent eſſe proprietatum rerum creatarum, quibus à ſeſe diſtinguuntur, ac differunt: Deum tantùm eorum ſin-

rum fingerent auctorem, quæ in omnibus rebus eadem, similiaq; existerent. Causa exempli hominem quidem productũ aiebant à Deo, quatenus tamen de ijs agatur, quæ naturam communem constituunt: at quia quisq; mortalium suas habet proprietates, quibus ab alijs differt omnibus, nec persuadere sibi possent illi, ut una causa rerum diuersarum ac contrariarum adeo existeret: informabant animo ideam quãdam, hominem uidelicet, atque exemplar singulorum alicubi separatum, quod quasi operam Deo nauaret in hominum creatione. Refellerat hunc errorem igitur Dionysius, & exemplis à sole petitis, qui diuersißima efficit, pro cuiusque rei natura, & sui reddit participia conditus tamen ipse confirmauerat: at non alibi quàm in simplicitate, atque unitate diuinæ essentiæ paradigmata, præfinitiones, & ideas ponendas esse dixerat. Denique quòd Theologia Catholica docet è Beatitudine diuinæ, simplicisq; naturæ res existere, et boni esse participes qualiscunq;, & in Deo contra res omnes quodammodo inueniri, quatenùs nimirum copiosißimè omnia in Deo unico, et simplici cõsiderãtur, et sunt, quæ tenuiter, et per participationem exiguam sunt in rebus creatis uniuersis. Hîc autem Clementem (ut nos arbitramur philosophũ Platonicum, ut & Apollophanis nomenclatio probat epistola ad eum data, & ad B. Polycarpum) sibi opponit, qui pro somnio illo, & impietate Platonica contenderet, etiam

res præcipuas cælos, astra, elementa & cæteras dicēdas quadantenus paradigmata, & exemplaria rerum inferiorum. Cuius sententiā primùm reijcit tāquā blasphemā: siquidē uolebat res illas præcipuas, non quidē referri cum alijs (ut somniat Illyricus) sed (quod eruditißimus quoq; ac sanctißimus ante nos uidit, & in commentario suo prodidit literis Aquinas) ex parte aliqua (sicut modò expositum est de Platonis sententia) rerum esse exemplaria, & efficientes causas. Hanc autem adsertionem huius Platonici neq; propriam, neq; exactam, ac perfectā, neq; simplicem esse affirmat Dionysius. Ac propriā quidem negat: quòd res nō sint ad hoc productæ à Deo in naturam, ut res illas creatas quantumcunq; præstantes imitentur, sed ut Deum solum tanquā absolutißimū, atq; unicū cunctorum paradigma colant, illisq; tanquā adminiculis interim usæ, subuehantur. Nā hinc paradeigma, seu exemplar nomē sortitur, quòd id quippiam imitetur. Exactū autē sermonem Clemētis inficiatur Dionysius: quandoquidē res superiores quælibet & ipsæ indigeāt diuino exēplari, quippe quæ nisi παράγωγα, & uestigia obscurissima sint perfectæ, ideoq; nequaq̄ perfecta dici possint aliarū rerū ἀρχέτυπα, seu πρωτότυπα. Simplicē deniq; non concedit orationē Platonicam, seu (quod idē est) res principales nō admittit rectè cōstitui exēplaria simplicia: cùm nō exēplaria duntaxat forēt (si ita fingeremus cum Platonicis) sed etiā de-

ductæ

ductæ inde, id est, diuina idea imagines, uel potiùs umbræ. Postremò, ut demus (inquit Areopagita) Philosopho isti, non ineptè res illas principes dici exẽplaria rerum inferiorum: attamen nequaquã putandum est imitationi, ac cultui nobis esse propositas: cùm Moses clarè moneat, Conditorem nobis nõ esse fabricatum, ac molitum illas, ut post eas (ut ipse loquitur) abiremus superstitiosi, Deo Creatore posthabito. Hæc Dionysij est illic sententia, ita cum M. N. & superioris memoriæ eruditi interpretes exposuerunt: hæc sola Dionysio Areopagita digna est doctrina: ex quo liquet, quàm dißimilis sit contrà, quã simulet Illyricus Alexandrini Clemẽtis 8. Stromatum, & Dionysij Areopagitæ cap. 5. lib. de D. N. disputatio. Clemẽs enim aliud nihil sibi uult, quàm inter efficientes causas, & res ab ijs effectas esse relationẽ: ut inter patrẽ & filiũ: fabrũ et fabricã: creatorẽ & creaturã: quod de reliquis causis quoq; omninò est pronuntiandum, idq; uerè: Dionysius autẽ nõ agit de relatiõe, siue de eo, quod ad aliquid dicitur, seu cum aliquo alio refertur, quemadmodũ falsò, & indoctè contendit Illyricus deceptus, aut etiã abusus uocibus (πρός τι) uel certè (ad aliquid) sed negat res principes esse ideas creatrices ex parte, quadamtenus, quantum ad proprietates attinet (ut dictum est) rerum ijs subiectarum, & situ inferiorum. Quæ cùm ita sint, & disputatio Areopagitica cuiuis haud pertinaci idipsum sit statim

Deut. 4.

tantùm

tantùm inspecta persuasura: audet clamare Illyricus futile, ac friuolum commentum suum negari nõ posse: uel (quod Saxonicum uerbum (vnleugbar) propiùs exprimat) à mendacio, ac uanitate alienum, qua dictione (ut fit in malè conscijs sibi, & agnitæ ueritatis impugnatoribus) & priorũ, & huius quoque adsertionis suæ falsitatem, et fucum malè celat, ac dißimulare uidetur ægrè potuisse. Verùm utcunque se hoc censebitur habere: insignẽ profectò iniuriam infert, & maculam gloriæ Titi Clementis adspergit, dum Platonicam ei stultitiam, & turpißimum adscribit errorẽ, à quo is tam est alienus, quàm iste aduersarius à Catholica synceritate, & penè dixerim Lutherano (tam fertur opiniosus, & paradoxus Illyricus, & proscriptio Ienensis confirmat) puro, puto Euangelio. Quid autem opus est, reprehendamus & illud, nisi ut lubrica Illyrici innotescat improbitas, atq; impudens incõstantia? Quòd cùm Clementem hunc Alexandrinum paulò antè in ducentesimum à Christo nato retulisset annum, & præ se tulisset demonstratum iam Areopagitam citasse Clementem Alexandrinum, concludat illum in trecentesimum, aut circiter esse diducendũ à Christo nato annum. Quasi me, qui Illyricum nunc nominatim refellam, & ante triennium reipsa, quòd suppressum esset nomen à Basileen. his literis, M. F. refutauerim, & ab hinc quinquennio forem reprehensurus, si huius impudentiæ eius, atq; audaciæ fuissem

consciùs;

conſcius: neceſſe ſit uideri poſteris centum plus mi-núſue annis poſt illum uixiſſe. Aut quaſi centeſimũ annum duntaxat opportunum refutationibus arbitretur Illyricus, & nullum tempus interiectũ: cùm multos ſuperſtites ſuis diuexauerit conuitijs & maledictis, & plures mortuos, ſuis inquietet etiãnunc inuectiuis. Nam in hoc ipſo ſcripto B. M. Io. Fabrũ, & Sydonium impetit, non tã argumẽtis, quàm probris, ut propediem ſumus Chriſto fauente demõſtraturi ex profeſſo. Cæterùm quod addit de B. Ignatij allegatione, eſt olim à nobis (ut bona ſpes eſt) ei obiectationi factum ſatis. Sed & quod undecimum habet ſophiſma eodem tempore putidũ, atq; inane eſſe oſtendimus. Quid enim morer ſales illiberales, quos adſpergit Illyricus? negat enim perfacetus homo mortuum Dionyſium potuiſſe ſcribere: quaſi id quiſquam ſit affirmaturus. Deinde quoſdam fingit multo tempore poſt reditum è Pathmo narrare cõſcriptum ab Ioanne Euangelium: & Euangeliſtam ipſum idem de Apocalypſi alicubi teſtatum facere. At oportebat Illyricum exprimere quantum intelligat ſpacium, & quos diceret illos quoſdam: ne pro grauibus hiſtoricis fortè Lutherus, Huſsus, & id genus artifices nobis ingererentur. Vbinam autem teſtatur Ioannes Apocalypſin ſe retuliſſe in literas à reditu è Pathmica deportatione? Num capite primo, qua parte dicit: Εγενόμην ἐν τῇ νήσῳ τῇ καλουμένῃ πάτμῳ, & poſt, ἐγενόμην ἐν πνεύματι ἐν τῇ κυριακῇ Argumẽt. 11.

κυριακῇ

κυριακῇ ἡμέρᾳ, & c. pro quibus uersio uulgata (fui) habet? Atqui (ut aliud nihil dicam) dum dicit se in tribulatiõe adhuc esse, quod articulus ὁ additus probat, qui idem quod ὢν ualet, id est, dum Ecclesijs, quæ sunt in Asia ait se scribere: quis non malit ἐγενόμην eram interpretari, ut etiã tum in Pathmo uersãs intelligatur dicere, dum scriberet uisa sua se antè tempore eiusdem sui exilij uidisse in spiritu, quæ pòst refert, ac confirmat? Quid ni enim utamur τῷ ἐγενόμην, atq; (eram) de præterito quidem tempore loquentes, necdum tamen mutatis conditionibus? Nónne familiarißimè dicimus latinè, hesterno die eram æger, hilaris, mœstus, occupatus, cùm me uiseres, accerseres, uelles conuentum? Cæterum quòd nobis de nescio quibus uita Dionysij, seu legenda, & Vrspergẽsi præscribas quantũ ad uitam, & migrationem attinet nullius est momẽti: cũ Veteres, & græcos auctores habeamus, qui in Traiani uitã Dionysij prorogent, ad quos te dudũ nominatos hinc relegamus. Quare pueriliter te putas argumẽtatum auctorem librorũ Areopagitæ, quòd Euangelium secundum Ioan. & eiusdem citet & Apocalypsin, uixisse eo demũ tempore, quo libri hi non conscripti, atq; êditi modò fuerũt, uerumetiam in sacrorum uoluminũ album, ac canonem admißi, ac recepti essent. Quid enim de Iustino, Irenæo, alijsq; primis nostræ religionis scriptoribus nobis statues, in quódnam eos reiecturus es seculum, qui nõ modò alle-

Euseb. lib. 4. cap. 18. Niceph. li. 4. ca. 6. & 14. Vide annot. Erasmi ad ultimum caput Apocalyp.

allegãt, ac probant Apocalypsin tanquã Ioan. Euangelistæ opus, sed cõmẽtarijs suis quoq; illustrare nõ dubitarunt? Nũ & hi de antiquitate, atq; auctoritate sua iudice Illyrico isto, hac tantùm de causa, quòd pro eo ac decebat de germanis libris Euãgelistæ senserint sunt periclitaturi? Iustinus autem (quæso te) quãtò Areopagita fuit iunior, q Polycarpo coæuus fuit Ioannis confesso auditori, uel Illyrico censore: et eiusdem tyranni coronatus est imperio? Quasi et Dionysius hæreticorũ debuerit referre impudẽtiã ac pertinaciã in quantũcunq; apertis, et certis in dubiũ notandis: aut Ioan. Euãgelistæ infimus potuerit nescire illos certò fætus esse sibi amicißimi Theologi: aut in ea certitudine quiuerit scrupulus ullus obstare, quò minùs in scriptis suis pro testimonio adduceret: imò quasi nõ debuerit certißima sibi oracula citare, ut approbaret sua fide cũctis dubitatis et irreligiosè pro hæresib. habituris ἀλόγοις, & uecordib. alijs eiusdẽ fæcis Criticis. Sed et hæc quõdã sunt à nobis fusiùs discussa, quò Illyricũ amandamus, si quid præterea sibi dubitatiõis simulet inhærere, et ad 12. ac supremũ eius deliramentum properamus. 12. obiectio.
Vbi primùm Austriacos, ac Bauaros suos (si fas sit dicere) præteritione insolente deludit: & (cùm miserystereà nihil comminisci potuerit) fingit se in manifesta re nolle superuacaneam ponere operã. Itaq; ad postremũ epistola Dionysij ad Polycarpũ laborat abuti ad historiæ Areopagiticæ subuersionẽ, &

ex Vrſpergenſis haud ſcio cuius (ſuſpicor eũ ex Antagoniſtis ſuis quempiam ita deformare, fortaßis Michaëlem F.R. Merſpurgenſem Antiſtitem) fide Dionyſium in Gallia, anno Domini 96. Polycarpũ autem Smyrnæ, centeſimo ſexageſimo ſexto Domini, ætatis ſuæ 86. cohoneſtatum Martyrio contendit: ex quo conſequens ait Polycarpum ad ſummum ſedecim fuiſſe annorum, cùm Dionyſius curſum ſuũ conficeret: itaq; probabile non eſſe cum tali adoleſcente in Aſia agente, tantam interceßiſſe Dionyſio Lutetiano præſuli, mille negotijs diſtento, neceſſitudinem. Addit Illyricus (quod uerum eſt) epiſtolam Dionyſij, miſſam Polycarpo iam Hierarchæ, et Epiſcopo, & alloqui eum tanquam uirum doctum. Quod & ipſum concedimus. Verùm ipſe uiderit quàm bona fide ſui nobis inauditi Vrſpergẽſis chronicam ſupputationem proponat. Nam dudum Martyrio Dionyſij 14. Domitiani annum (ſi qua fides Illyrico) aßignabat Vrſpergenſis iſte, cui Tyrannus unicum adiecit: hinc & Nerua tantundem in cenſum cõtulit, quibus ſi Traiani quidem 19. cum dimidio, Hadriani autem 20. Antonini uerò Pij 23. denique Marci Antonini Philoſophi tres addas, euadent 66. cum dimidio anni medij inter utriuſq; exitum, & Polycarpo reliqui manebunt 19. cum dimidio, quibus totos tres cum dimidio (ne dicã 4) hoc loco ſubtrahit, atq; adimit Illyricus. Adeò uerum eſt & de Lutheranis militibus, quod ille quondam de propha

nis

nis cecinit:nullam fidem,pietatēq; uiris,qui sequun tur castra. Iam quàmuis non satis mihi liqueat, qua ætate à præceptore suo Ioanne Euãgelista sit Smyrnæ datus Episcopus Polycarpus:tamen cùm et Titus & Timotheus adolescentes id onus subierint,et Eusebius in historia supremi certaminis innuat ab uniuersis usque cultum illum,dum tum demũ sibi detrahere calceos,ait,conatum, ante præuentum semper suorum obsequio,quib. extitisset nunquã non uenerabilis:non immeritò quis ea etiã ætate Episcopũ,et quidem doctũ extitisse Polycarpũ,occasione præceptoris notũ, & amicũ Areopagitæ adfirmaturus uideatur.Porrò(si quod res est)à Traiani 14.ordiamur supputationē,nónne prætereà toti 16. accedēt anni Polycarpi,qua fuerit exantlante supremũ agonem Dionysio?Hæc autē ætas quid habet incõmodi uel scrupulosißimo Illyrico laturo sententiam? Nũ uir 34.35.aut 36.annorũ impar episcopali fũctioni? Num mirum si eruditus sit,aut habeatur?Nũ denique ueri dißimile cum hoc amicitia uinctum fuisse,& epistolã scripsisse Dionysium? Eat nunc Illyricus,et similiter gratiarumactionē Deo pro Areopagiticis scriptis suæ hæresi tã infestis quasi iã exibilatis:& persuadeat id effectũ dedisse nõ Austriacis,& Bauaris hoĩb.hactenus in Germanicis tenebris instar Solis elucētibus Catholico splēdore,sed è Saxonib.insipiētißimis.Nã cordatiorib.huius quoque gentis adeo suspectus,et inuisus est Illyricus,ut

Li.4.E.H. cap.14.Niceph.lib.3. cap.35.

H pridem

pridem cum Cethego suo cõmeruerit proscriptionem. Quod autẽ Vrspergensis Illyrici ipsemet (quisquis tandẽ sit, aut fuerit: catholicũ, aut saltẽ Illyrico aduersum postulat eius à minori ratiocinatio) multa fateatur in Areopagitica historia reperiri mẽdacia: non reclamamus, ut tamen ab Vrspergensi isto, & eius fideli scilicet interprete Illyrico allegatur duntaxat. In ijs cõmentum de 14. Domitiani anno, quo occubuerit, imò primùm euehi gloria cœperit: & consequens hinc fabula de Domini anno 96. quo à uita migrârit idem, et quæcunque istis sunt prætereà consequentia. At si agatur de germana, & incorrupta, quam nos proferimus hoc tempore: hortor Vrspergensem (si tamen hostis fidei sit, & non meliorum ignorantia sola eum ad hoc scribendum impulit) & Illyricum cum sua tota factione, ut mendacia illa (quod omnino facturi sunt, si excogitare ac deprauare quicquam ualebunt) in seriem ueluti aciem redacta producant, & polliceri audeo eadem uisum iri nostra opera fucum tantum amolitura ueritati offusum, certißimam historiam. Porrò autem quæ Illyricus sedulò pergit dissoluere obiecta sibi à Sydonio, & Fabro in adsertione sacrosanctæ missæ, et ex Dionysio conuertere, atque optima fide sua interpretari, aliàs à nobis examinabuntur & (quod opus erit) retundentur. Quanquam hæc tam bella, & laboriosa Areopagitæ oppugnatio satis arguat (ut dictum est) credere (quicquid malus simulet) Illy

ricum

ricum inimicißima sibi esse illius monumenta. Nisi enim putarentur incõmodare uehemẽter: quid opus erat tanta mendaciorum congerie, & deliriorum uenditatione? Certè illud quicquid est huc non pertinet, sed ad commentariũ, aut prælectionem nihilominus propediem ex his Areopagitæ diuinis uoluminibus catholicum adserturi sacrificium: quid infirmare, & in germanicum translatione deprauare ualuerit Illyricus, sumus dispecturi, et facilè in artificis retorturi caput.

Quapropter & hanc obiectationẽ, & reliquas, quæ diligenter oĩa cogitatione perlustrãti mihi, uel ipsi etiam aduersario in mentem uenire potuerunt, credo utcunque dilutas, neq; improbabiliter esse explicatas: itaque penè serum est: ut R. C. T. Cardinalis, & Pontifex Reuerendiß. ad sua grauißima, ac aßidua dimittamus officia, & negocia publica. Accipe igitur de manu offerentis inopiæ nostræ Patrone optime, ac præstantißime Hildiuinum nostrum: suscipe nostræ infantiæ qualecunque M. Dionysij Areopagitæ encomium, atque adsertionem: ne quæso recuses patrocinium Apologiæ, ac correctionis opusculorum istorum usqueadeo necessariorum, usqueadeò à pijs omnibus desideratorum: & quàm hactenus se R. C. T. præstat strenuum, & fidum orthodoxiæ propugnatorem: tam nunc suorum commilitonum, eorúmque ueteranorum Dionysij (inquam) & sui quasi armigeri Hilduini conser-

uatorē, & uindicē pium dignetur exhibere. Quod si fiat, et si munusculum nostrum exiguũ quidem illud, sed primum tamen repulsam nullam ferat: fiet profectò, fiet, & hoc breui, ut animus ab humanitate R.C.T. addatur, non modò ad maiora audenda: uerumetiam ut cum pijs omnibus, ubique locorũ Ecclesiæ Catholicæ facultas detur maior, M. Dionysij Areopagitæ diuinis operibus utendi, cùm ad omniũ institutionem, tum priscæ fidei defensionem, atque adsertionem, & totos greges ouium, quæ hactenus procul à cælestibus aberrauerunt pascuis ad orthodoxum ouile undique reducēdi. Adesto igitur Illustrißime Princeps, & Antistes præstantißime causæ matris Ecclesiæ, quam potes nauã operam fidei, & pro ea laborātibus nobis, hostibus undiq; erupturis, & incursuris in ingens hoc Hildiuuini scriptorum iubar, & primùm quidē ad tam euidens extremi coniurationis suæ exitij periculum trepidaturis: mox uerò in cōmuni casu, ac discrimine infestos inter sese, & abhorrentes quàm maximè alioquin clypeos coniuncturis, ad opprimendum statim communium perduellium impreßionem, occurre (ut es, & debes existere) terribilis: et socijs orthodoxiæ uindicibus uulgare nihil molientibus, atque êdituris (ut bona spes est) continuò fer opem, & sperato fac sis usq; præsidio. Opto R. C. T. Ecclesiæ parenti pernecessariam in domino nostro Iesu Christo quàm diutißimè ualere.

EPI-

EPISTOLA PIISSIMI AVGVSTI,

domini Chludovvici ad Hildivvinum venerabilem Abbatem Monasterij Sanctissimorum martyrum Dionysij sociorumque eius, de colligendis in corpus vnius textus his, quæ in Græcorum historijs ex pretiosissimi martyris Dionysij notitia passim scripta repererat.

A.D. 815. Chludouuicus cœpit imperare, imperauitq; 26. annis. Carion, &c.

IN NOMINE DOMINI Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, Chludouuicus diuina repropitiante clementia Imperator Augustus, Hildivvino venerabili Abb. monasterij Sanctissimorum martyrum ac specialium protectorum nostrorum Dionysij pretiosi sociorumq; eius, æternam in Christo salutem.

QVantum muneris atque præsidij non modò nobis ac prædecessoribus, seu ꝓgenitoribus nostris, verùm etiam totius imperij nostri populis, Domini prouidentia per beatissimum Dionysiũ sæpenumerò, imò continuè in magnis gratiarũ

Spectate hinc Germani cũ aliorũ M.V. tũ Imp. V. tã Rom. Pont. obseruantiam, q̃ de SS. & defunctis in uiua fide sententiam.

vbertatibus cõtulerit, cunctæ per transacta tempora Gallicæ senserunt, quę eius insigni Apostolatu fidei rudimenta sumpserunt, & salutis subsidia perceperunt. Prædecessores autem nostri, gloriã huius eximij testis & amici Dei non inaniter coluerunt: qui dum eius sacras exuuias in terris ob amorem & honorem domini nostri Iesu Christi opibus, quibus poterãt, honerauerunt, per eius preces dignissimas honoris priuilegio potiri, & in terrenis & cælestib. meruerunt: vt videlicet vnus ex priscis Francorum regibus Dagobertus, qui eundẽ pretiosissimũ Christi martyrẽ veneratus nõ mediocriter fuerat, & in mortali est vita sublimatus, & per eius adiutoriũ, sicut diuina ac celebris ostensio perhibet, à pœnis est liberatus. Inq; vita perhenni desiderabiliter constitutus, progenitores quoq; nostri, mellifluũ domini Diony-

Innuit Dagobertum à flammis purgantibus esse liberatũ S. Mart. precibus,

sij (sic enim verbis ac scriptis suis eum appellare consueuêre) nõ incõgruè pia dilectione & dilectissima pietate amplexi sunt. Quia ꝓauus noster Karolus princeps Frãcorum inclytus, per orationes ipsius excellẽtissimi martyris, indeptũ se fuisse gratulatus est apicem principatus, fidemq; deuerso mortalitatis tempore, quod carius potuit habere depositum, corpus scilicet proprium, in magni die iudicij suscitandum, & animam Dño præsentando, fideliter cõmendauit, ac per hoc maximè deuotionem atq; fiduciam cordis sui erga peculiarẽ patronũ patenter ostendit. Sanctæ nihilominus recordationis auus noster Pippinus, propter altare, quod ante sepulcrum sæpe fati, sæpiusq; dicendi domini Dionysij per diuinã & memorabilem reuelationem, iussu ipsius Sanctissimi martyris, in honore Dei & Apostolorum eius Petri & Pauli,

Areop. ut à Galliæ Regibus sit appellatus.

Sanctorũ intercessio quàm efficax.

Sanctis corpora sua pij cõmẽdãt, in eorum Basilicis eligentes sepulcra.

Auus huius Scriptoris Pippinus.

Altare à Diony. iussum per reuelationẽ ædificari in honorẽ Dei, et Apost. Petri & Pauli.

Elogium Steph. quarti Rom. Pp. M.

Pauli, qui præſentes oſtendebantur, à beato & angelico viro Stephano, ſummo Pontifice dedicatũ eſt, inter ſacra miſſarũ ſolempnia vnà cũ duobus filijs, Karolomanno videlicet, & diuæ memoriæ, domino ac genitore noſtro Karolo, iure p̄nominato Magno, ab eodem Apoſtolico Papa, in regem Francorum vnctus: ſuperni muneris benedictionẽ percepit. Quiq; cum quanta ſe humilitate ante limina baſilicæ Sanctorum martyrum, defuncto huius vitæ curriculo, ſepeliri pręceperit, titulus, etiã ipſius cõditorij * innoteſcit. Sed & nos multis ac frequẽtibus largitionibus, beneficia eius ſumus experti: præcipuè tamẽ in humanæ varietatis euentu, quo Dei, vt ſemper fatendũ eſt, iuſto iudicio in virga eruditiõis ſuæ viſitati, & baculo ſpecioſæ miſericordiæ eius, ante præſcriptum altare per merita & ſolatiũ domini

Carolus Magnus huius eiuſdẽ ſcriptoris P.

A. P. Rom. in Regem Francorum unctus, &c. & quæ eius unctionis uis.

** pro indicat. Sic enim eo tempore, & paulò ſuperiori Bedæ, Gregorius, &c. loquebantur.*

Dion. Areop. in D. Chludouuicũ merita.

ac

ac pijſſimi patris noſtri Dionyſij virtute diuina re erecti & reſtituti ſumus: *ſingulumq́; militare, iudicio atq; auctoritate Epiſcopali reſumpſimus, & vſque ad præſens ipſius gratioſo adiutorio ſuſtẽtamur. Idcirco venerabilis cuſtos ac cultor ipſius p̃curſoris noſtri Dionyſij, monere te volumus, vt quicquid de eius notitia ex Græcorũ hiſtorijs per interpretationẽ ſumptum, vel quod ex libris ab eo patrio ſermone cõſcriptis, & auctoritatis noſtræ iuſſione, ac tuo ſagaci ſtudio, interpretumq́; ſudore in noſtrã linguã explicatis huic negotio inſeri fuerit cõgruũ, quodq́ue etiam Latinis in noſtris codicibus, iam inde habes inuentum: adiũcta ea quæ in libello eius paſſionis continentur: nec non & illa quæ in tomo, cartis vetuſtiſſimis, armario Pariſiacę Eccleſiæ ſacræ, videlicet ſedis ſuę prolatis inueneras, & obtutibus noſtræ ſe-

*Lego cingulũ.

renitatis ostéderas, secundũ quod rerum, causarum etiam & tempo rum conueniẽtiã noueris, in corpus vnum redigas, atq; vniformẽ textum exinde componas: quatenus deuotis compendiosiùs valeant innotesci, & fastidiosis, minúsue capacibus, vel studiosis, lectionis possit tædium subleuari, paritérq; omnibus ædificationis vtilitas prouideri. His ita cõtextis, volumus vt reuelationem ostensam Beato Papę Stephano in Ecclesia eiusdem Sanctissimi Dionysij, sicut ab eo dictata est, & gesta quæ eidem subnixa sunt, vnà cum ymnis, quos de hoc gloriosissimo martyre atq; Põtifice, & officium nocturnale subiungas. Sed & differenter ac cũ integritate sui quęque ex eo reperta sunt, in altero volumine colligas, nobisq; distinctè & correctè transscripta, quantotius dirigas, aut pręsentes: quoniam maximum valdeque dulcissimum

Innotesci, indicari, paßi. ab illo priori, innotescere.

Visum P. M. Stepha. memoriæ iubetur mandari: quæ præterea hic desiderẽtur.

Pars huius operis adhuc desiderata.

ſimum pignus deſiderabilis præſentiæ illius Domini & ſaluatoris noſtri, vbicunque ſimus, habere nos credimus, ſi cũ eo, vel de eo, aut ab eo dictis, oratione, conlatione, ſiue lectione conloquimur.

Dion. Areopag. Imper. Pij, Dominus & Saluator, eiusq; res geſtæ, quàm charæ.

Vale in Chriſto vir Dei, in ſacris orationibus iugiter memor noſtri.

RESCRIPTVM EIVSdem ad sereniſſimum Imperatorem Chludouuicũ. Vnde & qualiter ſumpta ſunt ea, quæ in corpus vnius textus, ſecundum iuſſionem ipſius redegeram ex Græcorum & Latinorum hiſtorijs de notitia excellentiſſimi martyris Dionyſij.

1. Hæc uerbi perſona loquitur autographon.

DO-

DOMINO BENIGNITATE ADMIRABILI, ET auctoritatis Reuerentia honorabili, Chludovvico Pio ſemper Augusto, Hildivvinus humilis Chriſti famulus, & domini mei Dionyſij pretioſi, ac ſociorum matricularius, veſtræque imperiali dominationi in omnib. deuotiſſimus: præſentem in Chriſto proſperitatem, atque æternæ felicitatis benedictionem optat & gloriam.

EXultauit cor meũ in Domino, & exultatum eſt cornu meũ in Deo meo. Dilatatum eſt os meũ, & gaudebunt labia mea, vt adnuntiẽ præconia domini mei glorioſiſsimi martyris Dionyſij, ab eximio Imperatore domino meo iuſſus. Quæ reticere non poteram, etiãſi à quoquam fuiſſem fortè prohibitus. & reuerà magna mihi eſt ratio

tio gratulandi. quoniam cumulatius mihi effectum desiderij mei præstare voluit diuina dignatio, vt mentis meæ conceptum ei placere cognoscerē, cùm quòd agere spontaneè disponebat mea humilitas, in agenda data manu auctoritatis cooperaretur vestra Deo placens sublimitas. Qua de re bonorum operum, & spiritualiū omnium studiorum illum auctorem esse, non dubium est, qui quorum incitat mentes, quo sibi placet ingenio adiuuat actiones. Sed & in hoc valde exultat spiritus meus, in Deo salutari meo: quoniā Christianus animus, videtur sic euidentissimè erga se diuinæ bonitatis beneficia, & sanctorum cognoscit solatia, & tam promptissimè se accēsum ostendit, circa auctoris & reparatoris sui, seu specialium suffragatorum suorum venerationem atque obsequium. Non enim sic ab intimis pia aīa vestra diuina cō fite-

Incitatarum à se mentiū, Deus adiuuat ingenio actiones.

fiteretur vera & iusta iustitia, nisi se ipsam sancto inluminatam cognosceret spiritu, nec ita deuotissime amici, vnde gesta & dicta maximæ sagacitatis vestræ prudentię perquireret, nisi summum bonū, à quo, & per quem omnia sunt bona, diligeret. Cuius amore, religiosa deuotio vestra accensa esse dinoscitur, vt Christi militū gloriosos triumphos inquireret. Quos cùm nouerit, per eorū adiutoriū robustiùs contra vitia vitiorumque auctores pugnabit: quatenus martyrum exempla sectando, qui viriliter certauêre, & fidéliter satis vicêre, ad palmam qua illi munerati sunt, & ipse pertingat: huc accedit, & ad voti, & sollicitudinis vestræ incitamentum, quia Ezras sanctæ scripturæ reparator, magnum remunerationis donum exinde apud Deum promeruit, & laudabile sibi nomen adquisiuit. Quocirca & vestræ sedulita-

Vsus Scriptorū Martyriorum.

Ezras scripturæ reparator, & studij eius remuneratio.

tis inſtantia, cùm pro magna antiquitate huius ſanctiſſimi patris noſtri, quantum ad generationem terrenam, & conuerſionem ſeu obitum attinet, * ueſtra ſanctitate, & miraculorum prodigijs, orbi penè cuncto innotuit: notitia ipſius paucis noſtrorum cognita plurimis adhuc manet incognita, cùm per veſtrum ſtudiũ patuerit, & meritum, vt melius ipſi ſcitis, grande vobis conciliabitis, & memoriale perpetuum acquiretis. Faciat autẽ Dominus, vt & nos idonei cooperatores inueniamur, ad bonę volũtatis veſtrę perfectionem, qui tantò ſine aliqua hæſitatione veſtris iuſſionibus obedimus, quãtò illa rogatis ſeduli exactores, quæ exhibemus voluntarij executores. Idcirco quia reperta queq;, tã in Gręcis q̃ in Latinis codicib9, ex domino & patrono noſtro Dionyſio q̃ actenus minùs cognouimus, vobis ociùs in vnum

Veſtra legendum exiſtimo, niſi malis mira.

vnum collectam mittere possitis, & in congruum ducimus auctoritatis vestræ pio desiderio deferri, quòd ex debito seruitutem nostram constat debere largiri, quãtũ * cónibet breuitas tẽporis quicquid ori suggesserit, memoria citæ recordationis, fauente Domino * voliciter scribẽtium notariorum articulis. Deprecantes vestrá humiliter sapientiam, ne in his q̃ Reuerentia & amore sanctissimi martyris, & propter iussionis vestræ obedientiam scribenda aggredimur, verborum pompositatem, aut dictationis lepôrem, sed purissimæ veritatis sicut ab antiquorũ dictis sumpsimus, quærere studeatis sinceritatem. Nosq; reprehendere de casuum, præpositionũ atque coniunctionum virtute, seu literarum in subsequentes immutatione, vel punctorum secundũ artem Grammaticam positione nolite, quia non id studendum, sed

Lege quibit: nã c olim, ubi modò q ferè usurpamus.

Fortè uelociter.

Hæc probant, autographon nos exẽplar nactos: ac proinde cũcta retinenda fuisse nobis.

nostræ

noſtræ deſeruitionis obſequium, ac commendationis veſtræ officium, accelerandũ ſuſcepimus: maximè cùm hæc quæ ab aliena lingua expreſſimus in tenoris ſerie, ſicut de prælo ſunt eliquata, teximus: quæ licèt in interpretatione non redoleant ſupparem ſermonis odorem, ſapidum tamen referunt veritatis & intellectus ſui ſaporem. Ordinem igitur hiſtoriæ, ſicut veſtra iuſſit Dominatio, in vnum congeſtum, & ſingillatim, poſteà plenitudinem eius diſcretam, cunctis legentibus atq; audientibus pandemus. Nam diuinæ erit inſpirationis & exequutiõis, id quod deſideramus fideli animo propalare, verum atq; probabile demonſtrare. Ex quo nos laborandum nõ magnopere æſtimamus: quia quid tenendum de hoc ſanctiſſimo martyre Chriſti ſit, quid credendum, notæ & probatiſſimę perſonę, veracibus dictis declarãt.

Nouit auctor Græcè.

Propoſitio.

Auctores & fontes huius operis.

Genere ſiquidem eum nobiliſſimum, & Philoſophiæ magiſterio inſignem apud Athenas claruiſſe, & aliarum hiſtoriarum & Apoſtolorũ actuũ teſtimonio ſecula priſca, ſeu inſtantia cognouerunt. Maximè autem ex hiſtoria Ariſtarchi Grȩcorũ Chronographi, qui in epiſt. ad Oneſiphorũ Primiceriũ de ſitu Athenæ ciuitatis, & geſtis ibidem Apoſtolorũ tẽporib. ſcribẽs, ortum proſapiæ, & doctrinã eius, atq; cõuerſationis ordinem, ſiue ætatis tempus, necnon & ordinationẽ ipſius, ac prȩdicationẽ, ſubrogationẽ etiã Epiſcopi loco ſuo, & aduentum illius Romam ordinabiliter narrat: quam epiſtolã, veſtrȩ dominationi dirigimus, & qſque ſtudioſus apud nos præualet inuenire. Curioſus autem ex Græcorũ fontib. vnde & nos illã ſumpſimus, poterit mutuare. Quòd enim ante cõuerſionẽ ſuã Iliopolim Aſtrologiæ gratia migrauerit,

Ariſtarch. Chronographus, & eius epiſt. ad Oneſiphorum, de rebus geſtis memoriæ Apoſtolicæ.

vbi

vbi & tenebras in crucifixiõe Saluatoris nostri vnà cũ Apollophanio sodali suo vidit: & quia tũc viginti & quinq; erat annorũ, ipse in epistolis ad Polycarpum Smyrneorum Episcopum, & ad eundẽ Apollophanium missis ostendit. Quia verò cũ omni domo & Damari vxore sua crediderit, lectio Actuũ Apost. docet, & euidẽtiùs dialogus Basilij, & Ioannis, capitulo 5. libri quarti demõstrat. Sed & beatus Ambrosius in epistola ad Vercellenses, eandem vxorem eius ex nomine designans, perspicuè manifestat. Cæterùm de notitia librorũ, quos patrio sermone cõscripsit, & quibus petẽtib. illos cõposuit, lectio nobis per Dei gratiã, & vestram ordinationem, cuius dispensatione interpretatos, scrinia nostra eos petentibus reserat, satisfacit. Autenticos namque eosdẽ libros Græca lingua cõscriptos, qñ echonomus Ecclĩæ Con-

Alibi Apollophanes, ut & Græcè hic dicitur.

Γυνὴ. 17. *Act.* g. *cur non mulier, ut antiquus interpres?*

Chrysost. ὁ δὲ Ἀρεοπαγίτης ἐκεῖνος ὁ τῆς δεισιδαιμονεστάτης πόλεως ἐκείνης οὐκ ἀπὸ δημογορίας μόνης ἠκολούθησεν αὐτῷ μετὰ τῆς γυναικός.

ſtātinopolitanæ & cæteri miſſi Michaëlis legatione publica ad veſtram gloriam compendio functi ſunt: in ipſa vigilia ſolennitatis ſancti Dionyſij, pro munere magno ſuſcepimus. Quod donum deuotioni noſtræ, ac ſi cælitùs allatum à Deo diuina eſt gratia proſecuta: vt in eadem nocte decem & nouē nominatiſsimæ virtutes in ægrotorum ſanatione variarū infirmitatum ex notiſsimis, & vicinitati noſtræ perſonis contiguis, ad laudem & gloriam ſui nominis, orationibus & meritis excellentiſsimi ſui martyris, Chriſtus Dominus ſit operari dignatus. Quoniam

* Ambroſius li.10.Epiſt.82.poſtquā dixiſſet Stoicos & Epicureos cū Paulo diſputaſſe, & eorum aliquos contempſiſſe eum, addit: Ex hoc tamen numero non immunis gratiæ abijt Apoſtolus. Siquidem etiā Dionyſius Areopagites, cū Damari vxore ſua, alijsq́; multis credidit. Itaq; illi doctiſsimorū & eloquentiſsimorū hominum cœtus, ſimplici diſputatione victos ſe eſſe credentium exēplo manifeſtârunt. Vbi & doctrinā, & eloquentiam attribuit Dionyſio & cæteris, contra Sciolos quoſdam.

Hæc autem ipſa uetuſti, doctiq; uiri citatio, mercedem Ambroſio adſertionis epiſtolarum ſuarum repēdit, quas Nouatores quoque explodere cœperunt.

niam autem B. Clemēs huc eum, videlicet, in Gallorum gentem direxerit,& qualiter per martyrij palmam diuersissimis & crudelissimis afflictus supplicijs, ad Christum peruenerit,& quomodo caput proprium angelico ductu, cælestis militiæ in celebratione exequiarum honoratus obsequio, ad locum vbi nunc requiescit, detulerit,&quo ordine à Catulla quadam matrefamiliâs sit sepultus,libellus antiquissimus, passionis eiusdem explanat. Pręcipuè tamen conscriptio Visbij, quæ in tomo satis superq; abdito, Parisius diuino nutu inuenta inter alia memoranda,sicut in ea legitis,verba Domini nostri Iesu Christi ad eum prolata, quando sacra martyria perageret, illi cunctis videntibus apparentis continere dinoscitur. Cui adstipulari videntur antiquissimi,& nimia penè vetustate consumpti,Missales libri, continētes

Martyrij Dionysij libellus antiquissimus.

Visbius oculatus testis, & præco Areopagitæ, de quo mox plura.

Libri missales antiquißimi primitiui ritus per occidentem recepti Visbio adstipulãtes.

Missæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei, vsu in hac occidentali plaga est habitus vsq; quo tenorẽ quo nũc vtitur Romanum susceperit. In quibus voluminibus habentur duæ missę, quę sic inter celebrandum ad prouocãdum diuinæ miserationis clementiam, & corda populi ad deuotionis studium excitanda, tormenta martyris sociorumq; eius succinctè commemorãt, sicut & reliquę missæ ibidem scriptæ, aliorũ apostolorum vel martyrũ, quorũ passiones habentur notissimè decantant. Quarum missarum sensus & verba, adeò passionis eorũdẽ quã vobis misimus seriei concordare videntur, vt nulli sit dubium à teste illorum martyrij agones eorũ descriptos, & ex ipsa eorum veraci ystoria memoriam tormẽtorũ suorum in præfatis precibus fuisse mandatã. Videtur porrò in his missarum obsecrationibus nõ cõ-

Sequẽtiæ missarũ duarũ de Dionysij martyrio, cur & quomodo loquantur. & quis sequẽtiarum uniuersus usus.

Oculatus testis earum auctor, at historiæ isti interim illæ prorsus concordant.

tem-

tēnenda auctoritas de memorata passione sanctorū, cū extēt apud nos epistolæ Innocētij & post eū Gelasij, necnon & moderniùs B. Papę Gregorij, aliorumq́, pontificū ad Episcopos vrbiū Galliarū, & Antistitū nostrorū ad ipsos, de more Romano in cūctis Ecclesiasticæ auctoritatis munijs imitando, quib. datur intelligi ab annis plurib. hunc missę tenorē de Gallica consuetudine recessisse, & hāc passionis martyrū istorum memoriā, longo superiori tēpore his occidentalib. partib. per supplantationū postulationes inoleuisse: q̃bus tantò certiùs fidem accōmodamus, quātò in tempore vicino post consummationē eorum, easdem fuisse compositas sine dubitatione concredimus. Nec tamen quisquā putabit beatum Dionysium eiusque successores ab institutione Apostolca propter huiusmodi missæ ordinem Gallicis con-

Innocentij primi, Gelasij, Gregorij & cæterorum P p. M m. studiū concordiæ omniū Ecclesiarū in rebus diuinis.

Gallia quando, et qua de causa ordinē, et consuetudinē quorundam rituū in missa mutare cœperit.

Solicitudo M. N. ne ab institutione Apostolica usquam discessisse uiderentur.

cõſuetudinibus in primordio traditum diſcrepaſſe, ſi ei conſtiterit ipſorum Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum, ipſiusq́; etiã vrbis Rom. ſenſus proprij abundãtiam notam eſſe. Nec mirari quis poterit, cùm ymnum S. Eugenij Toletani, de B. Dionyſio habeamus, & vicinorum ſapientium ſcriptis exceptis, paucis videamur carere, cùm & hæc quæ habemus, vt exorata priorũ noſtrorũ nenia dicamus, abdita & negligenter relicta repperimus: & alia necdũ ꝓlata, quia nõ adhuc ſunt ad liquidum enucleata, nos poſsidere lætemur. Cæterùm ſuper garrulitate leuitatis eorum, mirando deficimus, qui cõtendẽtes hunc Dionyſium Ariopagitẽ eſſe nõ poſſe: ad munimentum ſui, hæc quæ ſequuntur, inaniter contrahũt: Venerabilem videlicet & ſanctũ Bædam presbyterũ dixiſſe in tractatu Apoſtolorũ Actuũ, Ariopagitẽ Dio-

Primitiuæ Eccleſiæ Epiſcoporũ in ſuo ſenſu abundantia.

Eugenij Toletani de Dionyſio Hymnus.

Aliorum item ueterum ſuffragia, eaq́; à maioribus Hildi. neglecta.

Antiquæ obiectationes cõtra Dionyſium Areopagitam.

V. Bedæ tractatus in Acta Apoſtolorum, & ibidem opinio.

Dionyſium non Athenarum, ſed Corinthiorum fuiſſe Epiſcopum. Addentes eundē inibi diē obiſſe. Et quoniā libellus paſſionis iſtius teſtetur hunc à Clemente Pontifice Romano, Epiſcopum ordinatum, & in has Galliarum partes fuiſſe tranſmiſſum: Quia etiā paſſiones diuerſorum ſanctorū martyrum, ſub varijs imperatorib. interfectorum contineant, eoſdem cum hoc ſanctiſſimo viro has partes adiſſe, quod ipſe cenſatorū manifeſtè refellit auditus. Et quòd Gregorius Turonēſis ſicut in paſſione ſancti Saturnini legiſſe ſe dixerat, ſub autumatione memoret iſtum ipſum tempore perſecutionis Decij ſub B. Sixto cū alijs ſex Epiſcopis: quorū vitæ vel paſſiones nequaquam eius dictis in ratione temporū conſonant, in has regiones fuiſſe directum. Ecce omnis minùs ſcientium, ſibi ipſi diſcordans auctoritas, cui velut ex

Libellus martyrij Dionyſij.

Gregorij Turonen. coniectura, & opinio cōtra Areopagitā, unde & qualis.

Refutatio al'atarum obiectionū.

ſuperfluo propter ſatisfactionem inſipientium reſpondemus, cùm veram ex hoc ſancto Pontifice & martyre narrationem veraciũ hiſtoriarũ præ manibus habeamus: Primò quidem petẽtes, vt in hoc iure contentioſi, ab albugine cõtracta arrogantiæ, ex vſurpata ſapientia, qua videri ſcioli volunt, oculos tergant, quò perſpicaciter & vera fideliter relegant. Et ſi nõ niſi vnum oculũ aperuerunt quãdo legerũt quod per ſubreptionẽ Venerabilis Beda probat in præfato opere ſecùs quàm debuit dixerat, vbi idem ſe reprehendit, & reprehenſorum ſuorũ vocẽ ꝓueniens retractionẽ ſcripſit, ſcrobem in qua oculus alter eſſe debuerat aperiant, & in Eccleſiaſtica hiſtoria diſcant, quia Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus de Dionyſio Athenarum Epiſcopo in epiſtola ſua ad eoſdem Athenienſes directa cõmemoret, ita enim ibi.

Areopagitomaſtiges quales ſint

Retractatio Bedæ incautè dicti ab ipſo in commẽtarijs ad Act. Apoſtolica.

Dion. Corinth. de Dion. Areo. teſtimonium.

ibi. lib.4.c. 23. ſcriptũ eſt. Extat quoq; &alia* eius quin Dionyſij Corinthiorũ Epiſcopi ad Atheni enſes epiſtola, in qua ad * Euangelia credulitatẽ eos inuitat, & cõcitat ſegniores, ſimul & arguit quoſdam velut penè prolapſos à fide, cùm Epiſcopus eorũ Publius fuiſſet martyrio conſumatus. Sed & Quadrati qui Publio martyri ſucceſſerat in ſacerdotium meminit ſimul & memorat, quòd labore eius ac induſtria rediuiuus quidã in eis calor fidei reparatus ſit. Et illud in eâdẽ deſignat epiſtola, qđ Dionyſius Areopagites, q ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chr̃o ſecũdũ ea q̃ Apoſtolorũ Actib. deſignãtur, prim9 apud Athenas ab eodẽ Apoſtolo Epiſcopus fuerit ordinat9. Cuius epiſtolę ſed & aliarũ epiſt. ipſius Dion. Corinthiorũ Epiſcopi, & eius vtiq; quã ad Soterẽ Epiſcopũ miſerat, B. Ieron. in li. de viris illuſtrib. facit a p

Et lib.3.ca.4.

* *fortè eiuſdem.*

* *Fortè, Euãgelicam.*

Alterum eiuſdẽ Dionyſij pro eodẽ Areopagita teſtimonium.

Scripta alia Dionisij Corinthij.

Hieronymo ſuus de uiris illuſtribus liber aſſertus

tiſſi-

tiſſimè mentionem. Vnde quiſq; vidés, ſub quibus Imperatoribus quiq; eorum fuerint, liquidò poteſt colligere, quantæ abſurditati * rē ſit iſta obnixa: cùm inter hos duos Dionyſios, tam plura diſcreta ſint tempora. Legitur item ſic in eadem Eccleſiaſtica hiſtoria, capitulo quarto, lib. 3. memorantur autem ex comitib. Pauli Creſcēs quidē ad Galatias eſſe profectus, Linus verò & Clemens Eccleſiæ præfuiſſe, qui comites & adiutores eius fuiſſe ab ipſo Paulo perhibentur: ſed & Dionyſium Areopagitem apud Athenas, quemadmodū Lucas deſcripſit, primùm Paulo prædicante credidiſſe, ac inter ſocios eius fuiſſe, & Eccleſię Athenienſium conſtat ſacerdotiū ſuſcepiſſe, de cuius videlicet Dionyſij Ariopagitæ obitu, nil Græci ſcriptores dixerunt, quia propter longinquitatem terrarū tranſitus ipſius tranſit incognitus: habemus

** Legendū fortè, res ſit iſta obnoxia.*

Inſigne pro Areopag. Eccle. Hiſt. teſtimonium.

Ad Philip. 4.

Cur Græci Hilduino minùs apertè de reb. Areop. ſcripſerit.

bemus tamen Græcę auctoritatis martyrologion, de Tomo Cartiſſcrinijs, Cōſtantinopolitanis adeptum, qui tanta vetuſtate diſſolui tur, vt maximam cautelam à ſe cō tingentibus exigat, in quo diē natalitij eius deſignatum, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit, repperimus adnotatum. Quod martyrologiū, vt antiquitas eius demonſtrat, ex eo tempore conſtare poſſe, nō incongruè remur, quo Conſtantino iubente, nota occaſione martyria ſanctorū Domini de toto orbe collecta, & Cæſaream ſunt conuecta. Sed & vſq; hodie Græcorum maiores, & Athenæ incolæ perhibent yſtoriarū ſcriptis, & ſucceſſionum traditionibus docti in eadē ciuitate Dionyſium, tum tēporis primū fuiſſe Epiſcopum, quando Timotheus Pauli æquè diſcipulus Epheſiorū rexit Eccleſiā, ipſumq; ſubrogato ſibi Epiſcopo, Romā adiſſe, & vt com-

Cartophylacijs: fortè Cartiſcrinijs.

Martyrologion Dionyſij, quod à tempore Conſtātini Magni, ob uetuſtatem, uideretur eſſe deſcriptum.

D. Tarasij in Dion. Areop. studiũ, inquisitio de rebus eius gestis & eius causa erga Athenas affectus.

compererunt apud Gallorũ gentem glorioso martyrio consumatũ fuisse. Quod & Tarasius Patriarcha Cõstãtinopolitan⁹ per legatos suos sollicitè inquisiuit, & ita se eam habere cert' eãdem Atheniensiũ ciuitatẽ pallio Archiepiscopali, quod iã ex ea iã diuturno tempore orta quadam contentione subtractũ fuerat redonauit, & synodali consensu Metropolis auctoritate qua antè fũcta fuerat honorauit. Nã à p̃cedẽtib. annis vsq; ad illud tẽpus eiusdẽ ciuitatis Episcopus nec suberat alteri, nisi Patriarchæ, nec iuri eius, debitarum sibi Episcopi ciuitatũ subdebãtur.

Respõsio ad martyriũ, quòd à Clemente sit episcopus ordinatus.

Quòd autẽ dicũt in passionẽ istius B. Dionysij scriptũ haberi, q̃ eũ S. Clemẽs Episcopũ ordinauerit, Galliasq; miserit, ꝓculdubio sciant quòd aut prædictam passionem ex veris & emendatioribus exemplaribus non susceperunt, aut scriptorum vitio depraua-

prauatam legerunt: quoniam nō ibi ſcribitur eũ Epiſcopũ à B. Clemente conſecratũ, ſed Apoſtolũ totius Galliæ fuiſſe ordinatũ, de qua ordinatione Apoſtolatus,niſi ad alia ſe intẽtio noſtra dirigeret, & ex Apoſtolorũ Actibus,& ipſius Domini actiõe auctoritatis exemplũ ſufficienter his ſcriptis poſſemus inferre.fieri. n. poteſt vt diximus quòd textũ paſſionis ipſius ſancti Dñi ex'autenticis ſcriptũ non habeãt, & ideò in hoc errẽt,quia & nos plures codicellos exinde vidimus qui in quibuſdam ſenſu videbantur concordare,ſed literatura admodum diſſonare: in quibuſdam autem nec ſenſu nec orationis ten ore poterant ſotiari, quod manifeſtum eſt huius venerabilis & antiquiſſimi patris vetuſta longinquitate, & ignotæ, atque peregrinæ linguæ, vbi de eius notitia maxi-

maximè ſcriptum erat inſcitia, ſeu deuotione fidelium accidiſſe, qui non ſtuduêre ad priſcas hiſtorias pro cognitiõe eius recurrere, ſed ea quæ auditu collegerũt, vt Gregorius Turonenſis non votiuo errore fallens, videntes inſignia magnifica atq; innumerabilia per eũ fieri, prout vnicuiq; ſenſus abundauit, curauerũt ſcriptis committere: ſic & de ſanctorum Apoſtolorum geſtis ac paſſionibus factũ legimus, & de alijs quibuſq; hiſtorijs Eccleſiæ neceſſarijs, manifeſtè comperimus. Fuerũt ſiquidẽ, qui de beatorum Apoſtolorum virtutibus vera dixerunt: ſed de eorum doctrina falſa ſunt commẽtati. De Eccleſiaſticis itidem hiſtorijs atq; ortu, vel actu, vel obitu Patrum quidem, quãtum ad rerum geſtarum ſpectat fidem, veracia cõſcripſerunt: quantum verò ad tẽporum vel locorum attinet veritatẽ, minùs cautè cõfixerunt. Sic profectò

Veterum negligentia hiſtoriarum ueritatis, et traditionum auditione ſola perceptarũ, ſtudiũ.

Adulterinæ Apoſtolicarum rerũ narrationes.

fectò,vt notum est scripturis Canonicis diuersorum interpretum varietas extitit: in quibus quique minus dixerunt, alij quædam addiderunt, quousq; earum per beatum Hieron. lingua nostra meracam veritatem ab ipso fonte suscepit. Quocirca nulla historia sic probabilis poterit vel debet haberi, quàm ea quæ de veridicorũ, præcipuè orthodoxorũ collatione poterit colligi. Et ideo certius tenenda sunt, quæ modò de hoc eximio martyre collecta conscribimus, quàm illa, quæ de quolibet alio sancto sine auctoris nomine passim scripta relegimus: præsertim * qum hæc q̃ scribimus de antiquariorũ antiqua scriptura, velut ex prato non Parisiaco, sed Paradisiaco. Cæterùm, parcendũ est simplicitati viri religiosi, Gregorij Turonẽsis Episcopi, qui multa aliter, quàm se veritas habeat, æstimans, non calliditatis astu, sed

Laus translationis D. Hieronymi.

Lydius lapis in discernendis sacris historijs.

* *Mutatũ erat q in c, cuius erasionis uestigium apparebat.*

Responsio ad auctoritatem Gregor. Turonen. et de eius in historijs fide.

benignitatis ac ſimplicitatis voto literis commendauit. Patenter & quidem noſcere poſſumus non adeò quædã ſollerter eũ inueſtigâſſe: quin ei contemporalis exiſtés vir prudens & ſcolaſticiſſimus Fortunatus, qui plura & frequẽter ad eundẽ ſcripſerat, Hymnũ rithmicę compoſitionis pulcherrimum de iſto glorioſiſſimo martyre cõpoſuerit. In quo cõmemorat eũ à B. Clemente deſtinatũ ſicut in latinorũ paginis didicit, de natione aũt eius & ordinatione Epiſcopatus, mentionẽ non facit, quia linguæ Græcæ penitus expers fuit. Tantis igitur & tam manifeſtis teſtimoniorum aſſertionib. de hoc ſanctiſſimo & antiquiſſimo patre, ad liquidum elucubratam & propalatam omnibus ſcire volentibus veritatem, & ita neſcire volentibus in geſtam certiſſimam rationem, vt etiam ſi velint quid ex illo verum eſt ignorare non poſ-

Fortunati Scholiaſticiſsmi Hymnus in Areop. & eius ætatis deſignatio.

Ecce ignorantiæ Grecanicæ deputat uitæ Dionysij ignoratam hyſtoriam prioris uitæ Areopagitæ, ut ſap. Græcis res eiuſdem poſteriores faciebat ignotiores.

possint. Cesset quod idem Areopagites non sit Dionysius exitiabilis & profana nimis contentio: quia qui famam martyris derogare aliquo modo gestit, veritati sine dubio cui testimonium perhibens tanta transfretando maria in tam longinquam regionē exulari, & pro ea pati sic acerbissimè *sustulit, detrahere cęca frōte & imbecilli virtute cōtendit. Nā vt verè impius & peruicax iudicandus erit qui post tot ratas sentētias opinioni suæ huic aliquid animo ꝑuerso tractandū reliquerit, ita qsquis post veritatē repertā quoddam ex hoc vlterius dubitauerit, quoniā ex studio mēdaciū q̄rit comes & discipulus eius, qui ab initio mendax & pater mēdacij extitit, non immerito rectorum decreto erit. Et quanta sit hebetudo susurronum pessimi generis hominum æstimare nō valeo,

*Corrigebatur, sustinuit.

 qui

Ingratitudo & amentia Areopagitomastigum indicatur.

qui doctorem egregiũ, & eximiũ martyrem se habere, si gloriam patriæ suæ, suamq; quærerent, contendere debuissent. Potiùs se cum habeant nõ haberc inmurmurẽt: quanta quoq; sit mentium amentium peruersitas, dolere, vt res postulat, nequeo: quæ cum votis & * laudium præconijs martyrẽ gloriosum, suis iniquitatibus debuissent conciliare propitium, detractione & famæ minoratione laborant, quantum ex ipsis si * est. habere infestum. Sed isdem in cælis talium nec laude crescit, nec derogatione decrescit, qui Saluatori iunctus, & conciuis Angelorum effectus, de summa cælorum arce singulorum voluntates intendit, & sequens agnum quòcunq; ambulat, corda etiam omnium diuino lumine plenus, perscrutatur & penetrat. In hoc quin etiam seculo, non indiget gloriæ testimonio huiusmodi hominum: tamen

**sic in exẽplari.*

Quàm fugienda sit offensa diuorum, & ambienda gratia.

** lego sibi.*

Sanctorum in cælis etiã uolũtatũ perscrutatrix notitia.

ſi dicendi ſunt homines qui detra hunt eum iam in cęlis immortaliter regnantem, quoniam adhuc in mortali corpore veneratę ſunt beſtiæ agoniſantem: ſufficiens enim eſt illi ſuisq́ue comitibus laus illa in ſeculo, quam ſplẽdidiſſima eorum monumenta teſtantur, & celebri adoratione Chriſtianus orbis ferè totus proclamat: nec mirum, ſi martyr Domini Ieſu, iſtorum ſuſtineat cauillationem, cùm idem Deus maieſtatis, qui reſurgens à mortuis, iam nõ moritur, & in cælis ad dexteram Patris ſedet, ſubiectis ſibi principatibus, & omnium Angelorum poteſtatibus, per tanta annorum volumina adhuc ab incredulis indebita patiatur præiudicia. Hæc interim donec plura ſumatis de cognitione ſuffragatoris veſtri, Auguſte Sereniſſime, ſumite, & veraciter innoteſcite omnibus, quia hęc fideliter veſtræ dominationi dirigi-

mus veraciter ex veracib. hiſtoriographis & hiſtoriarũ paginis colligere procurauimus. Quoniã veritas, pro qua pretioſum ſanguinẽ hic ſeruus & amicus domini fuderat, noſtro mendacio adſtipulari nõ indiget, quæ ſuo ſibi teſtimonio ſufficit, quęq́ue teſtes veraciſſimos quos repleuerit teſtificantes veracia efficit. Denique quod nos diu multumq́; anxiantes quęſiuimus, aliquis alius fortè mirabitur, videlicet cur poſt omnia tormẽta nouiſſimè velut ab initio hi ſancti viri nudi publicè virgis cæſi, & ex ſtudio hebetatis ſecuribus ſint decollati, qđ tantò magis poteſt cogitando mirari, quãto alijs ſanctis Dei hoc genus decollationis rarius aut nuſquam legitur adhiberi. Qui nouerit vti in verbis paſſionis *conicimus, & multa veterum geſta reuoluentes dicimus, antiquitùs morem fuiſſe

Cur Dionyſius et reliqui martyres hi publicè nudi uirgis ſint cæſi, et decollati ad poſtremum.

**Exiſtimo legendum coniijcimus.*

Ro-

Romanum vt quiſquis nobiliſſimorum reus maieſtatis à militia & defenſione Reipublicæ aliô ſe conferens contra Senatus votum agere: vel aliter quam ſe ſententia haberet docere quomodo præſumpſiſſet, ſecuri ignobiliosè flagellis publicè cæſus cum omni dedecore interiret. Vnde & centeſima & vndecima Olimpiade Romanorum conſul Manlius Torquatus filium ſuũ licèt victoré, quòd contra imperium in hoſtes pugnauerit, virgis cęſum ſecuri percuſſit. Quapropter ex his vos & quiq; legentes aduertite, quantæ nobilitatis hic ſanctus Domini Dionyſius ſec ũdum terrenam generationem fuit in ſæculo, quantæ ſublimitatis ſecundum ſpecialem regenerationem in Domino, quanti feruoris &* fide, tanta terrarum ſpatia pio zelo veritatis perluſtrando in Chriſtiana religione, quantæ æſti

Nobilitas generis Dionyſij Areopa. & quædam alia eiuſdem Elogia,

**lego, fidei.*

mationis etiam apud orbis Princi pē, qui vt trucidaretur, huc Roma apparitores ſuos direxerit in nobilitate proſapię & fanatici cultus euerſione, quātæ fortitudinis in tormentorū perlatione, quàm abiectiſſimę vilitatis in occiſione, quàm pretioſiſſimæ ſanctitatis coram Deo in morte, quàm excellentiſſimæ & incogitabilis gloriæ cum CHRISTO in cælo, quàm mactæ virtutis ſit in adiutorio noſtræ fragilitatis adhuc laborantiū in agone, quàm felix cum proprio & beato recepto corpore gaudebit perpetuò cū ſocijs ſuis, & omnibus Angelicis choris, cunctisq́; Sanctis Domini, & electis in ęterna felicitate, Per eundem Dominum & Saluatorem noſtrū Ieſum Chriſtum, verum Deum, Deiq́ue & hominis filiū, qui in vnius ſubſtantię ac poteſtatis, trinitate perfecta viuit & regnat Deus, Per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EPI-

EPISTOLA HILDIVVINI ABBATIS INDIGNI AD CVNctos Sanctæ Cathol. matris Ecclesiæ filios & fideles, pandens quomodo inuenire quisq; scire desiderans ualeat, in Epistola ad Christianißimum Imperatorem, Dominum Chludouuicum exinde directa. Vnde & qualiter sumpta sint ea, quæ in corpus unius textus, secundum iußionem ipsius redegerat ex Græcorum & Latinorum historijs, de notitia excellentißimi martyris Dionysij.

HILDIVVINVS HVMIlis Christi seruus, & Domini mei Dionysij pretiosi, sociorumque eius matricularius, omni Ecclesiæ Catholicæ dilectioni, quaquà versum Spiritu sancto diffusæ, pacem continuam & gloriam optat æternam.

CVM nos scriptura generali definitiõe admoneat dicens: Quodcunq; potest manus tua, instanter operare, Ecclesiast. 9. ca. & pij Augusti, simulq; plurimorũ ad hoc desideria cognoscerẽ anhelare,

helare, visum est mihi etiã in hac parte quiddam sudoris impendere, vt notitiam de ordine conuersionis & prædicationis atq; aduẽtus Romam, seu triumphalis martyrij beatissimi Dionysij, quę maximè Græcorum cõtinetur historijs, & quasi sepulta antiquorũ scrinijs apud Latinos nõ modica portione seruabatur obtecta, in lucẽ Christo iuuante reducerẽ. Quatenus deuotis exinde erga Dei & excellentissimi martyris sui cultũ, deuotio cumulata succresceret, & debitæ seruituti nostræ in domo Domini, quantum ad exiguitatẽ ingenioli attinet, cíato gustu fidelibus, propinanti eius, dein amici Dei, cuius id amoris studuimus, *interuentio gloriosa, diuinam misericordiam impetraret. Vt enim ante nos dictum est, gesta bene viuentium elementa sunt vitam volentium, & exempla martyrum

*erat, inter uentio.

Laus uitarum cũ aliorum sanctorum, tum martyrum.

tyrum exortationes ſunt martyriorum. Quapropter ſequentia relegens,poculo debriatus præclaro fidem pietatis eruptet, & non obſequium noſtrum nomini temeritatis adſignet. Quia verò vt per quendam ſapientem dicitur, multoties in vili perſona deſpicitur veritas,cui nihil præferri debuiſſet, ſuppliciter oēs, in quorum manus hæc venerint, deprecor,ne in his noſtræ perſonæ humilitatem & agreſtæ orationis indiſciplinationem attendant, cùm perſonarum acceptorem in hac duntaxat parte non eſſe dominū ſciant. In qua ſcilicet me imperitum ſermone,non tamen ſcientia fateor. Quin potiùs hunc,de quo res agitur,inclitum & verū Chriſti militem ante oculos ponant, cui humanæ vocis dignitate impar omne erit quicquid in laude eius,aliquis nūc mortaliū dixerit, quoniam ab eo ſolo dignè poteſt lau-

Obteſtatio ac admonitio auctoris ad Lectorem.

Imperitus ſermone non ſcientia eſt Hildiuuinus.

laudari, à quo, & per quem talis meruit fieri. Vera itaque à veracibus de eo ſcripta, & ſimpliciter in vnum fideliter relegant, & ſi noſtræ imperitiæ fuerint indignati, ad veterum monuméta recurrãt: quia nos non noſtra, nec noua cudimus: ſed antiquorũ antiqua dicta de abditis admodũ tomis eruimus, & veritatis ſinceritate, ſeruata, paginis manifeſtioribus indimus. Cæterùm, neminem ſani capitis, hæc minus acceptari putamus, qui anteriori tempore reperta non fuerat, cùm liquidò noſcat quòd is, qui creauit omnia ſimul, noluit reuelari cuncta, vel cunctis in ſemel: multaque iterũ eſſe tempore manifeſta occultata. Ad mẽtem enim dicunt redire, quod in literis diuinitùs inſpiratis legitur, de legis libro, diu latẽti, & denuò ſub admiratione inuento. Et cùm Daniel dicat, pertranſibunt plurimi, multiplex erit ſciẽtia, quãtò magis

Nihil ſuum, nihilq; nõ uetuſtũ allaturus eſt Hilduinus.

magis nullus abiurare debebit, quòd multis comitibus aliorſum intuentibus,ſegnis quiq; aut tardus poſtgradiens perditionem in via, quam præcedentes triuerant inuenire non poſſit. Abiecta denique omni ambiguitate, quòd iſte ipſe Dionyſius,cuius hîc geſta ſcribuntur,non ſit Areopagites & Athenarum Epiſcopus, quid quiſq; dixerit,veluti de autumatiõe Gregorij Turonenſis Epiſcopi,& ſubreptione Bedæ,ſancti presbyteri, atq; aliorum quorumq;, ſine auctoritate iactatur: qui curioſiùs hoc ſcire voluerit, vt de multis q̃dam deſignemus, ex nomine Euſebij Cæſarien. hiſtoriam, & Ariſtarchi Græcorũ Chronographi ad Oneſiphorum Primiceriũ epiſtolam,& Visbij conſcriptionem perquirat & relegat.Ibiq; diſcere poterit, quis iſte Dionyſius fuerit,& qualiter per martyrij palmã ad Chriſtum peruenerit: ſi hîc eis

in

Attēde Hilduuinum Aristarchi epistolam uno historiæ filo cōnexuisse, & in martyrium suum retulisse.

in sui connexione manus dare fidei detractauerit. De his autem & ijs quibuscunq; vnde sunt, omnia sumpta quæ præ manibus tenentur collecta, si benignitati legētis commodū ac placitum fuerit, & alibi ea inuenire nequiuerit, literarū nostræ paruitatis ex hoc ad serenissimum Augustum affatim inlustratione valebit. Nā & si eis credere dignatus nō fuerit, ille sibi tamen sine quolibet supercilio proderit. Vbi hæc vniuersa & qualiter, & quo ordine dicta manifestè repperiat, ipsorūq; librorum plenitudinem si indiguerit mutuare ab Archiuo Ecclesiæ quibit. Valeat fidelis & carus frater omnis in domino cum pietate & gratia memor nostri.

Inci-

Incipit paſſio ſanctiſſimi Dionyſij, qui à loco Areopagita, & patriotico prænomine Ionicus, Chriſtiano autem agnomine & appellatus Macharius: à Sancto Paulo Apoſtolo Athenienſium ordinatus Archiepiſcopus, Apoſtolica verò auctoritate B. Clementis Papæ vniuerſalis totius Galliæ conſtitutus Apoſtolus.

Sic exẽplar. ergo ueteres, x magis aſpirabant quàm nos hodie.

CVius inuicta pro fide Chriſti deuotio ſub Domitiano Cęſare & Præfecto Siſinnio apud Luteciã Pariſiorum vrbem, cuius ſpecialius factus eſt pontifex, poſt multa tormentorum certamina, inter quæ Dñs noſter Ieſus Chriſtꝰ apparuit vnà cum B. Ruſtico Archipresbytero & cum Sãcto Eleutherio Archidiano ſuo alijſq́; quãplurimis 7. Idus Octobris glorioſum martyriũ perpetrauit, & caput propriũ ad locum vbi ſimul cum pręedictis ſuis ſocijs, tertio ferè ab eadem vrbe milliario requieſcit, ductu angelico detulit.

Domitian. Impe. Siſinn. Præfect.

B. Ruſt. Archiepiſc. & S. Eleutherius Archidiac. Dionyſij illorũq́; quàm plurimij ſocij.

Poſt

POſt beatam ac ſalutiferã Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionẽ, & adorandã eius ab inferis reſurrectionem, ſeu in cęlos glorioſam aſcenſionem, qua ſe manifeſtauit diuinitate nunquam defuiſſe quo rediјt, in vniuerſis gentibus Apoſtolorũ prædicatio profutura ſucceſſit, ita vt fide creſcente, multi mererentur fieri Chriſti nominis confeſſores, quos Catholica poſtmodũ gaudet mater Eccleſia, ꝓmeruiſſe martyres, & fidei bellatores, quæ lætabatur in Apoſtolis tantos ſe habere duces atque Rectores.

II. Qui ſiquidem cùm imminere ſuas cernerent paſſiones, quæ Domino Ieſu Chriſto docẽte, didicerãt, repleti * Spiritu ſancti gratia, docuerunt, vt ad ſanctę confeſſionis gloriam & præmium tranſmigrarent. Vnde gratias agimus tibi Domine Ieſu Chriſte, qui infeſtãtis inimici iacula, probationẽ fidelium

*Lego, Spiritus.

delium tuorũ præſtitiſti eſſe & nõ vulnera: ſed inter cætera cariſma tum munera, talem tuis teſtibus tribuiſti pro labore mercedem, vt nullum tuorum fuiſſe gaudeat ho ſtis imbellem: quin immò perpetuum illis es largitus triumphum, vt Eccleſiæ tuæ ſemper ſint in exemplum. De quorum Collegio B. Paulus Apoſtolus quem Cælo præſidens humanitas & benignitas ſaluatoris noſtri Dei compellans Saulum ſtrauit, ac Paulũ ſtatuit, eorumq; merito ac numero ſociauit: replens Chriſto euangelio nõ ſolùm ab Hieroſolymis uſq; in Illyricum: verùm & vſque ad terminos quomodo à Deo conſtitutus magiſter omniũ Gentium, peragrans ſuperiores & vicinas ciuitates, tẽpore quo princeps Claudius agebat in ſceptris deuenit Athenas.

Claudij tempore Athenas uenit Paulus.

III.

Quem vna vrbium magnarum Metropolis in confinio Traciæ pro-

Hæc mihi redolent Ariſtarchũ.

prospiciens Lacedęmoniæ terminos, posita media inter Achaiam

Laus & descriptio Athenarũ.

&Macedoniam iacet, qua nihil habuit Græcia clarius, situ terrarum eminentibus & frequentibus collibus montuosa, antiqua scriptorum facundia, paterna viscera, & materna vbera appellata, Ionici maris faucibus bitalassi more interclusa, Aegéum pelagus à læua cõtingit. Vrbs inclyta & antiqua, sola præter externum incrementum gloriosa: Cuius ciuibus non dedit initium conlecta natiuitas: sed quæ illis sedes, eadẽ est & origo: terrarum fertilitate opulenta, fandi & eloquentię nutrix, philosophorum & sapiẽtium genitrix, artium liberalium & diuitiarum omnium copiosa præ vrbibus cun

IIII.

Quartum caput erat hîc, ut priora in uoce Hæc, inchoandum ac distinguendum.

ctis emicuit. Hæc sita est in Attica Helladis prouincia, qua Cecrops & Menander, Reges generosi splenduerunt: vbi Apollo & Hippocras

pocras Aristotelis, cæterique inuentores & propagatores peritiæ sunt exorti, & in toto orbe suis præsentia,& temporibus nostris memoria fulgent. In hac summopere vrbe tẽporibus * Cycropis & Menandri Regum succedentium cultus simulachrorũ, & statuarum adoratio,idolorumque superstitiosa religio primò est reperta, & sanctionibus propalata. Hæc quoq; in prouecto sui est Mineruæ sacrata, & ipsi eius de nomine nomen aptatum: Hæc prima cunctarum vrbium leges condidit, & alijs iura vel tradidit, vel mutuauit: quinque sanè regionibus disterminata signatur. Prima ergo Regio est Aegeum mare respicit, in qua situs mons extat supereminens vrbi, vbi Saturni & Priapi aureæ statuæ variarũ inlusionũ colebãtur demen tijs: hæc enĩ regio Kronos pagos appellatur ex Saturni nomine,

*Cycr. hic erat Iota, Cicr.

VI. qui Gręcè Kronós vocatur. Secũda regio Athénæ eſt quæ reſpicit Traciam, vbi terebintus mirę magnitudinis inęrat: ſub qua Siluani Fauni* agreſtiũ hominum ſimulachra ſtatutis diebus à paſtoribus venerabantur, quæ regio Panós pagós appellatur ex nomine Siluani & Fauni: Græci enim Siluanum Pan, & Faunos ficarios Panítas vocitant. Tertia regio Poſſedonós pagos appellatur, quæ intendit portum Neptuni: Poſſedón namq; Græcè Neptunus dicitur, cuius ſimulachrum & Dianæ effigiem Aggéi ibidem colebant: & quò recurſus totius populi luna renaſcẽte in multis functionibus confluebat. Quarta re-

VII. gio in eadem vrbe eſt, vbi idolum Martis & ſimulachrum Herculis in colle Tritonij montis in medio vrbis poſiti ſteterat ad colendum multis immolationibus & deluſionibus Martem & Herculem,

* *Agreſtis hominis habebat exẽplar.*

culem, quos ibi Deos maximos & fortiſſimos adorabant, vbi exercebantur iudicia & docebãtur fora, ingenijq́; omnis ſollertia, qui locus Arij pagos appellatũ à Marte: Mars. n. Aris gręcè vocatur. Quinta regio ciuitatis eiuſdem verſa eſt ad portam Scheam, Hermis pagus ex nomine Mercurij, qui Hermis græcè dicitur appellata, in qua ſtatiunculum ipſius Mercurij veratione ſui, m̃te cæperat vrbem. Hęc ciuitas munitiſſimis mœnijs, mari florido, mellitis vt ſic dictum ſit riuulis, & fluminib⁹ pinguiſſimis ſatis pinguiſſimis nemoribus conſitis, & aromatibus odoratus, vinetis nectarijs & vbertatis copia effluentib. oliuetis abundantiſſimis, vi rectis florentibus paſcuis, pecoribus ſufficientiſſimis, auri, argenti, cæterorumq́; metallorum omnium copijs, nauium quoq; ac vectigalium

 com-

commeatibus & voluptatum cun ctarum affluētijs, vltra vrbes alias exornata, quondam nobilissimè floruit: sed quæ suo priori seculo cunctis mundi felicitatibus superera; modò gentium frequenti & condenso impetu oppressa,
VIII. & inter capta dirimitur. Vbi in aduentu Pauli quondam, vir nobilis erat, qui Sinmistes, id est, cōsecratalis Apollo Kronós Pagíta, quoniam in eadem vrbis regione, cæteros præcellebat, nominabatur, cuiusdam Apollinis nobilissimi Atheniensium principis prosapia deriuatus: cuius pater *Nicholaus, vir magni ingenij literarum studio pollens, qui ciuis & Argolicæ artis magister fuit. Huius igitur filius Apollo, dum inter philosophorum scholas, clarus haberetur, & autenticas bibliothecas reuolueret, deditusq; phi-

*En ut hic rursum cappa græcanicum aspiretur.

philoſophiæ, & vanis ſuperſtitionibus ritu paganorum, audiuit Paulum Apoſtolum noua & inaudita antea dogmata prædicantem: & cùm ei reſiſtere non valeret, inuenit veram eſſe doctrinam, quam Paulus apud Athenas docuit. Relinquens ergo dæmonicas ludificationes, & gentilitias adinuentiones, prouolutus Apoſtoli pedibus deprecatus eſt eum, vt illi veram doctrinam & viam ſalutis oſtenderet, ſeque Chriſti, & non Saturni profeſſus eſt fore diſcipulum. His ita geſtis, cùm vocis nouitate Athenienſes permoti, quadam die Paulum ad Areopagum duxiſſent, vt ibi examen ſua doctrina acciperet, adorſus eſt Dionyſium, qui ob plenitudinem diuinæ ſupernorũ Numinũ ſciẽtiæ Theoſophus, id eſt, diuinorum ſapiens, & à regione vrbis, qua ſedulò commorabatur, *Congreſſus Pauli in Areopago cũ Dionyſio: eiuſq; elogium.*

& innatus principabatur Areopagita genuino quasi vocabulo vtebatur, altissimo sanguine primi & magni Dionysij, non illius Semele vel Deucalionis, sed eius q. vitis inuentor apud Athenas insignis est habitus, longissima & clara propagine propagatus. Hic nãque annos ætatis v. & xx. agens, & cũctis penè artibus copiosè imbutus, crementi studio excitus, vnà cum Apollofanio cum philosopho suo astrologicæ disciplinæ voto Ægypti Iliopolim transmigrauit: Vbi simul cum eo degés, quando Deus homo Dominus noster Iesus Christus pro mundi salute inuidia Iudæorum cruci pependit affixus, & sol sui domini mortem pauescens, lucis suæ radios in tetræ mutauit noctis horrorem, atque orbis climata tenebrarum obtexit caligine, earundem tenebrarũ signo antea

Prouectio Dionysij in Aegyptum Philosophiæ causa.

inuiſo & inaudito attonit9,vt om nium literarũ diſciplinis edoctus, dixit: Hæc nox quã noſtris oculis nouã deſcendiſſe miramur,totius mundi verã lucẽ aduenturã ſignauit,atq; Dominũ humano generi effulſurum,ſerena dignatione dictauit. Vnde expletis pro quibus perexerat, feliciter redijt, arciq; totius vrbis Athenæ præerat, & curiæ Areopagi præſidens, omnium negotiorum ciuilium publicè & priuatim,vt nobilior nobiliſſimis moderamina diſponebat, atque inter primos * Sophiſtica & Syllogiſtica vniuerſalium doctrinarum acumina & ſtrofas, infulatus toga philoſofica, ciuibus ac vndiq; ad id ſtudiũ cõfluentib. profundebat. Hũc ſiquidem vatem qui olim paganus adhuc viſceribus tãti myſterij quod ventum erat quaſi venturum valuit reſerare,vtpote loci primátẽ cùm Areopagũ adiſſet, erectis ad

Functiones publicæ,et oratoriæ artis peritia ac facultas notãda cõtra Areopagito maſtigas.

**Sofiſt. erat*

Act.17. optimus commentarius.

Pauli cũ Dionysio disputatio.

verbũ omnium aurib. interrogare specialiter cœpit Paulus, quid coleret, & quib9 numinibus in tã spacioso & venerabili loco inseruiret? Cui respondit Dionysius, Deos quos coluerunt patres nr̃i, quorum virtute & solertia mr̃ terra continetur, hos colimus & adoramus: aras quas vides, Martis & Herculis, Mercurij & Priapi noïe & honore sacratæ sunt. Dũ verò Paulus singula altaria & simulachra falsorũ Deorũ perlustrasset, inter cæteras aras repperit altare vnum, cui erat titulus superscriptus: Deo ignoto. Et conuersus ad eum Paulus, interrogauit illum, dicens: Quis est ille Deus incognitus? Ad quem Dionysius: Adhuc, inquit, non est ipse DEVS demonstratus inter Deos, sed est incognitus nobis, & seculo venturo futurus. Ipse enim est Deus, qui regnaturus est in cælo & in terra, & regnum

eius

eius non accipiet finem. Subiungens itaq; Paulus ait, Quid vobis videtur? homo erit aut ſpiritus Deorum? Reſpondens Dionyſius dixit: Verus Deus & verus homo, & ipſe renouaturus eſt mundum, ſed adhuc incognitus eſt hominibus, quoniam apud Dominum in cælo eius conuerſatio eſt, Et ait Paulus: illũ dominum prædico vobis, quem incognitũ appellatis. Natus enim ex Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, ꝓ ſalute humana mortuus, reſurrexit, cæloſque aſcendens, ſedet in dextera Dei patris, verus Deus & verus homo, ꝑ quẽ facta ſunt omnia, & venturus eſt in fine ſeculi iudex omnium quæ gerũtur. Qui notus eſt iam in Iudæa Deus, & magnũ in Iſraël, & ſanctum nomẽ eius. Quapropter quoniã incognitum vſque nunc habuiſtis, modò cognoſcite quia ipſe eſt Deus ſolus, & præter eum non

Dionyſius verũ Deum & hominem ſciebat naſciturum, qui iam natus erat.

non eſt alter, q nos de morte, ſanguinis ſui precio reduxit ad vitã, qui cęlum & terrã, homines ſcilicet & angelos in vnitatem regni ſui cõiunxit, qui mortificat* iniuſtus & viuificat pius, qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Hæc & alia plurima Paulo prędicante, & ſingula perluſtrãte commendando Chriſtũ Ieſum Dei filium & Dominũ verũ eſſe, quę amica curioſitate Athenienſes, propter ipſam nouitatẽ officioſiſſimè acceptabãt: Dionyſi9 veram doctrinã & dogma ſalutis audiens, & nihil eſſe Idola quib. ſeruiebat, quin magis Dęmonia quã Deos eſſe cognoſcẽs, ſanctũ verò ſpiritum & verba vitalia in Pauli doctrina euidentiſſimè ſentiens, diuino lumine corde tactus eidẽ Paulo ceſſit, & ab illo expetijt, quatenus pro illo ipſius Dei, quẽ prędicabat, miſericordiã deprecaretur, vt illius cultor verus & ſu

*Legebat ĩ nominatiuo, o tamẽ impositum u habebat in Accusatiuum mutandum: idem in pius obseruatũ oportet.

us

us mereretur esse discipulus. Postero aũt die cùm Paulus ageret iter, cæcus quidam cœpit eum obsecrationis vocibus compellare. Sanctus autẽ Apostolus, crucis signum clausis à natiuitate eius oculis imposuit dicẽs: Christ9 dñs & magister noster, qui oculis imposuit cæci nati, & lumẽ restituit ei, ipse te potẽtia sua inluminet. Quem mox videntem, his est verbis affatus: Vade inquiẽs ad Dionysium, & dic ei, quia Paulus seruus Iesu Christi ad te me misit, vt memor sponsionis tuæ ad eũ venire nõ differas, quò baptismum salutis accipiens ab omnibus possis absolui nexibus delictorum. Is autem qui lumen recepit, obediẽter verba vi iubẽtis impleuit, & ad Dionysium properãs Pauli ei verba per ordinem nunciauit. Dionysius verò electionis gratia iã præuentus, vt cæcum respexit nõ antè habitis luminibus contuentem,

Miraculum Pauli in illuminatione cæci.

Vocatio Dionysij ad baptismũ, & eius in ipso effectus.

** hoc legebat.*

Vide ut homines electionis gratia præuenti ad fidẽ accedant.

tẽ,ait ad eũ: Es'ne tu ille, quẽ cę-
cũ natũ cuncti cognouerũt ad fi-
nes? Cui ille respondit: ego nẽpè
sum, cui cæco nato hactenus sol
nõ luxit, sed ipse Paulus, cuius ti-
bi defero mandata salubria, Iesu
Christi magistri sui inuocata vir-
tute, sanitatis mihi lumẽ indulsit.

S. *Baptismus Dionysij cum uxore Damare & tota domo sua.*

Qui protinus surgẽs cũ omni do-
mo & Damari vxore sua, quam vt
sumeret more terrenæ nobilitatis
propter amorem suscipiendæ ca-

Causa coniugij Dionysij.

ræ sobolis eum sui coëgêre paren
tes, ad mãdata ꝓperat sancti Pau
li. Credensque fideliter, & abne-

Mysteria nostræ fidei præcipua quæ?

gatis erroribus paganorum, sacri
est baptismatis vnda respersus, ac
sic demum se tradidit eius magi-
sterio pleniùs imbuendum, inq;
sanctæ Trinitatis fide, & incarna-
tionis, passionis ac resurrectionis,

Dion. Pauli comes per trienniũ ut perfectè insti tueretur.

Iesu Christi domini nostri myste
rio, seu cunctis archanis ecclesia-
sticę sanctitatis affatim vt comes
eius inseparabilis quòcũq; gressũ
mo-

mouerat à B. Paulo per trienniũ instititus. Thessalonica magistrũ obsequẽdo reuertens, ab eodem B. Paulo Apostolo Atheniesiũ est ordinatus Antistes, ac deinde ipso iubente Christi Euangeliũ prędicauit, eandemq; ciuitatẽ & maximã partẽ patrię ad fidẽ veritatis cõuertit: scripsit & per idẽ tẽpus ad Timoth. * Effesiorũ Episcopũ, suũ aũt cõdiscipulũ, diuino vsꝰ stilo, fulgorãti sermone, se eiusdẽ panis verbo quo viuũt Angeli, repletũ ostẽdẽs, de cælesti principatu, id est, de ordinib. angelorũ insigni eloquẽtia, & reuerẽda profundissimaq; intelligentia sic vt reuerà is qui in cælo os suũ posuerat, cũ de cęlestib. loquebatur, vbi corde & conuersatione degebat. Hęc inquit per sequentia capitula sufficientissimè differens. Primo, quia omnis Diuinus splendor secundum benignitatem variè in prouidentibus procedens, manet sim-

Vnde à Paulo Dionysius & ad quid remissus.

Dionysius Atheniẽsis ordinatus Episcopus.

Qui libri, quo tempore ad quẽ à Dionysio conscripti, Timotheum nempe Ephesiorum Episcopũ suum condiscipulum.

** Erat rem, sed u litteræ e incubabat.*

Liber de cælesti Hierarchia Dionysij.

Eius libri epitome, & enarratio.

Caput 1. eius lib.

ſimplex,& nõ hoc tãtũ,ſed & co-
adunat illa quæ ſplendorem acci-
2 piunt. Secundò, quia decenter di
uina & cæleſtia, per inſimilitudi-
3 num ſymbola monſtrantur. Ter-
*erat,Ie. tiò,quid eſt *Hierarchia,id eſt,ſa-
cer principatus, & qs eſt erga Ie-
4 rarchiam profectus. Quartò,quid
ſignificet Angelorum cognomi-
5 natio. Quintò, cur oẽs cæleſtes
ſubſtantię,in cõmune Angeli di-
6 cũtur. Sextò, quis eſt primus cæ
leſtium ſubſtantiarũ ornatus, qs
7 medius,&quis vltimus. Septimò,
de Ceraphim & Cherubim &
Thronis,& de prima eorũ Ierar-
chia,idem de primo eorum ſacro
8 principatu. Octauò,de dominati-
onib. & virtutibus & poteſtatib.
& de media eorũ Ierarchia, id eſt,
ſacro principatu. Nonò,de princi
9 patibus & archangelis, & angelis
vt vltima eorum Ierarchia,id eſt,
10 ſacro principatu. Decimò,repeti
tio & congregatio boni & angeli

ci

ci chori. Vndecimo, cur omnes cę 11
lestes potestates communiter vir-
tutes cælestes vocantur. Duodeci 12
mus, cur qui apud homines sunt
Ierarchi, id est, sacri principes, vi-
delicet sacerdotes, angeli vocãtur. 13
Tertius decimus, cur à Seraphim
dicitur mundari Isaias. Decimus 14
quartus, q̃d significat traditus an-
gelorũ numerus. Decimusquin- 15
tus, quæ sunt formales angelicarũ
virtutũ imagines & ordines, quid,
quod ignitũ est. Et quid est quod
humana specie angeli apparent?
Qui sunt illi oculi? quę illę nares?
quæ sint illæ aures? quæ illa ora?
qui sunt illi tactus? quæ sunt illæ
palpebrę? quę sunt illa supercilia?
quis auditus? qui sunt illi dentes?
qui sunt humeri? quæ sunt illa bra
chia, & manus? quod illud cor?
quæ sunt illa pectora? quæ sunt il
la dorsa? qui sunt illi pedes? quæ
sunt illæ alæ? quæ est illa nuditas?
quis est ille vestitus? quæ est illa

(Quæ) priori litera magna semper notabat.

ſplendididiſſima veſtis? quis ille ſacerdotalis? quæ ſunt zonæ? q̃ ſunt illæ virgę? quæ ſunt illæ lanceæ? q̃ ſunt illæ ſecures? quis eſt ille Geometricalis funis? qui ſunt illi vēti? quæ illæ nubes? quod eſt illud ęs? quod eſt illud electrum? qui ſunt colores differentium lapidū? quis viſus Leoninus? quis viſus Aquilinus? quis viſus vitulinus? q ſunt illi equi? q̃ ſunt differentiæ equorū coloratorū? quæ ſunt illa flumina? qui ſunt currus? quæ ſunt rotæ? quid eſt quod dictum eſt gaudium angelorum? Ad eundē etiā Timotheum alterū ſcripſit librū de Eccleſiaſtico ſacro principatu, diſtinctū per capitula, quæ infrà ſequūtur, elegātiſſimè myſticū ſacrum priùs ponens, & ſic ſingulas ſingulis capitulis myſticorum ſacramentorū theorias ſubiungēs. In quibus oſtendit, cuncta quę in Eccleſiaſticis & ſacratiſſimis myſteriorum conſecrationibus ſunt,

Ad Timotheum eundem Eccleſiaſtica Hierarch. huius auctoris.

Iſagoge optima in Eccle. Hier. Dion.

ange-

angelico miniſterio ſecundũ conueniẽtiam vniuſcuiuſq; ordinis, vnà cum miniſtris ſancti altaris, & præcipuè Ierarcha, hoc eſt, ſacerdote, qui vnus de angelis fás efficitur cœlitùs operari. Maximè in miniſterio ſancti ſacrificij dominicæ paſſionis, ſanctiſſimi principatus militiæ cæleſtis, cum cõſortibus ſuis in ꝓprio ordine, & laudis officio ſemper aſſiſtunt, & in cõſecratione ſacratiſſimi cariſmatis, quæ vniformis & vniordo, & ſymbolis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, in qua videlicet * criſmatis initiatione, ordinẽ Seraphim, benignũ Ieſum qui in omnib. ſanctiſſimus ſanctificat ſeipſum pro nobis, & omni nos ſanctificatione replet in ipſo perfectos, atq; ex Deo natos circũſtare, & multilauda, illa ymnologia, quã Propheta Seraphim ſe audiſſe clamare deſcribit. Eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum intelligibiliter laudare,

Hierarcha qđ ẽ

In Miſſa potiſſimũ Angelus eſt ſacerdos.

Angelorũ reuerentia; ac frequẽtatio diuinorum myſteriorum.

**Sciolus dũ emẽdare uult, deprauauit: cũ enim intelligatur de Chriſmate à ſuâ peruácaneum eſt initiò, cùm cappa perinde, ut chi olim ſit pronũciatum, & cõtrà, ut & antè obſeruatum eſt.*

obſequentibus etiam cæteris angelorum choris, & cenſualiter Alleluia cõcinentib. liquidò manifeſtat: cuius libri eſt prima iſta capi-
1 tulatio, quæ eſt Eccleſiaſtici principatus traditio, & q̃ eſt eius ſpe-
2 culatio. De his q̃ in baptiſmatis
3 inluminatione perficiuntur. De
4 his quæ in collatione Euchariſtiæ
5 perficiũtur. De his q̃ in criſmate
6 perficiuntur, & in ipſo conſecrantur. De ſacerdotalibus perfectionibus. De perfectis ordinibus, id eſt, monachorum, & ſeculo renũ-
7 tiantium etiam poſt baptiſmum. De his quæ in dormientibus perficiuntur. Tertium quoq; *ipſe cõſcripſit totum de diuinis nominibus, quem & appellat de ſymbolica theologia, ex amuſſim, & orthodoxè, vt ſufficit in eo diſputãs, primo capitulo, quæ eſt verbi ſpeculatio, & quæ eſt de diuinis nominibus traditio, de coadunata & diſcreta Theologia, & quæ eſt diuina

Index Eccleſiaſticæ Hierarchiæ.

**Ipſi emẽdatum erat ipſe.*

Auctori idem eſt lib. de diui. nom. qui de ſymbolica Theologia.

Scholij inſtar in ſpacio ponebatur (id eſt integrè uel perfectè) & uerſus dimidiati priores. partem alterã ferè digito uno exuperabant.

uina coadunatio, & diuina diſcretio, quæ eſt orationis virtus, & de beato Hierotheo, & de reuerentia & conſcriptione Theologica: in quo oſtendit ſe apud ſanctam ciuitatem penes ſepulchrum Ieſu, vitæ principis, à Iacobo fratre Domini, & Petro Apoſtolorum principe: nec non & à Theologo Iohanne vnà cū præfato Ierotheo, & ſancto Timotheo, alijsq́; compluribus ſanctis fratribus audiſſe diſputationem, & fidei ſacramentum, quomodo ab omnibus tenebatur Theologis, de diuinitate & humanitate Domini ſaluatoris: ſed & ex cōſequentibus ſuppreſſo nomine beatum Paulū his ĩterfuiſſe demōſtrat, de benigno, de luce, de bono, & cupiditate, & extaſi, & de zelo, & quia malū nec eſt, nec de exiſtente, neque in exiſtentibus eſt. In quo capitulo beati Ignatij cupiditatem etiam in bono accipi debere, aſſerens cum

Optima expoſitio uerborũ tertij capitis de diuinis nominibus Θεαρχικὸν καὶ ζωοδοχὸν σῶμα.

Gal. 1. aliũ Apoſtolorũ uidi neminē præter Petrũ & Iacobum, quomodo & hîc Ioannē, fortè eo tēpore, nam pòſt uidiſſe nõ repugnat: nã Ioannes diutiſſimè uixit, & ſignum hîc ad marginē poſi-

tum uidetur improbare hoc idē. Vt & aliàs, sed paulò pòst tamē, ibidem Paulus à Ioāne sibi dexteras societatis ait datas, &c.

Dionysius suis operibus interserit capita Ierothei non pauca.

Vbiq; n, ut i, legunt contra Chcum pro VVintoniensi.

Clymis Phlī refutatio: nō ergo beatum Clemētem Romanū, aut Alexandrinum intellexit Hildiuuinus.

Magus Elymas, ubi ab eodem reprehendatur.

venerationis laude commemorat, scribentis in quodā loco sic: Mea cupiditas, inquit, crucifixa est, Dominū Iesum volēs intelligi: sed & capitula suprascripti Hierothéi cōtra philosophos non pauca interserit. In quibus ita per strophatos syllogismos de malo disputans, constringit eos, vt neutram partem deflectere, neque post tergum regredi: sed nec aliò seipsōs possint dirigere, nisi quò ipse eos cogit impingere: deest & de paradigmis. In quo sensum Clymis Philosophi acutè redarguit, de vita, & in hoc amentiam refellit Magi Simonis, & contentiosos eius sermones, à diuino choro repellit. De sapientia, de mente, de verbo, de veritate, de fide, de virtute, de iustitia, de salute, de redemptione, & de inæqualitate, vbi Elimam, si omnipotens est Deus, Magum ancipiti gladio percutit, dicentem:

Si

Si omnipotens est Deus, quomodo igitur dicitur non posse? Et Paulum calumniantem syllogistico spiculo terebrat, & cor cerebrumque eius, id est, intellectum & sensum perfodit atq; comminuit: De magno & minore, & de idipsum, & de altero, de simili, & dissimili, & insimili de statu, de motu, & æqualitate: De omnipotente, de antiquo dierum, & de seculo, & tempore: De pace, & qui vult ipsum, quod ipsum dicitur, & quæ est ipsa vita & ipsa virtus, & quæ sic dicuntur: De sancto sanctorũ, Rege regum: Domino dominorũ: de Deo deorum: De perfecto, & vno. Epitoma q̃n etiam ijdem Timotheo cõposuit capitulatim, de mystica Theologia, per cataphasin: id est, adfirmationẽ, & per Apofasin, id est, negationem, atque per ypotheticas, idẽ cõditionales syllogismos, oĩa sensibilia & intelligibilia, & q̃

Epitome capitulatim composita de mystica Theologia ad eundem Timotheum.

Laus Dionysij à Dei cognitione, & rerum diuinarũ: & cur is πτερύγιον τοῦ οὐρανοῦ, à Græcis dicatur.

Nota simul ueterem Græcam lectionem.

in terra sunt,& quæ in cælo sensu transcendés,ac pro vt mortali possibile est atque licitum vsque ad ipsius Diuinitatis sacrarium penetrans. Quapropter à Græcorũ sapientibus extunc,& hodieq; Dionysius Pterychión tu vranũ,qđ latinus sermo explicat ala cæli vocatur, quia illuc spiritali intelligẽtia & reuerentissimæ reuelationis gratiæ volans,non solùm illa multimoda & magnifica mysteria ac ministeria sanctorum spirituũ,verùm & sempiternæ Deitatis soporem palato cordis degustans didicit,vnde hæc humanæ notitiæ literis eructauit,in cuius libri capitulo primo dicit intimatum sibi à Beato Bartholomæo Apostolo, qualiter Theologiã, sanctumque euangelium debuerit intelligere, quod & argutè cœpit,& breuib. sed profundissimis verbis eiusdem Apostoli scriptis suis ea inserẽdo definiuit. In secundo autem capitulo

Monitum D. Bartholomæi Apostoli Dion. datũ de scriptura Euãgelica intelligẽda.

tulo tradidit,quomodo oporteat coadunari, & ymnos reponere omnium causæ & super omnia. In tertio verò,quæ sunt Katáfaticæ,id est,affirmatiuæ Theologiæ, & quæ sunt apofátichæ id est,negatiuæ. In quarto quia nihil est sensibilium,quod omnis sensibilis secundùm supereminentiã causa. In quinto quia nihil est intelligibilium,quod omnis intelligibilis,secundũ supereminentiã causa. Sed Gaio scripsit epistolã per sententias differẽtem, quomodo quadam ignorantia cognoscatur, & quomodo visus sit ab his,qui eũ vidisse leguntur,& quod benignifico & Deifico munere aliquo modo intelligatur,& quod nõ solùm Diuinitatis, sed & humanitatis Christi ministerium, & dictu archanum maneat, & intellectu ignotum, & quomodo ille qui est super omnia, hominib. est substantialiter constitutus, & quod

Epistola ad Gaium & eius argumentum.

ſecũdum homines, de hominum ſubſtantia, ſubſtantialiter eſt ſubſtãtiatus, ſicut oſtẽdit virgo ſuperexcellẽter pariens, & aqua inſtabilis materialem & terreſtrem grauitatem ſuſtinens. Et quod non diuisè ſecundum DEVM tantùm Diuina egit benignus Ieſus, neque humana tantùm ſecundum hominem, ſed vir Dei factus nouam quandam Dei virilem operationem nobis perciuilitauit. Dorotheo quoque miniſtro direxit literas, innoteſcens quòd Diuina caligo ſit lux inacceſſibilis, in qua habitare Deus dicitur, & in qua ſit omnis qui eũ ſcire & videre dignus in* hoc corpore fuerit. Soſipatrem autem ſacerdotem breui Diplomate monuit, ne bona ſua nõ manifeſtata iudicet eſſe neglecta, & vt careat contentione verborum. Polycarpo etiã Smyrneorum Epiſcopo,

Epiſtola ad Dorotheum miniſtrum.

(Hoc) in ſupremo ſpacio collocabatur.

Epiſtola ad Soſipatrẽ Sacerdotẽ.

Epiſtola ad Polycarpum Smyrneorum Epiſcopũ eiuſdẽ Dion.

bea-

beati videlicet Ioannis Apostoli discipulo, epistolam quasi * apollogiticam misit, innuens quòd pertinaces contradictores veritatis sæpiùs correpti, aliquantulum sint declinandi, simul & Gręcos accusans, quòd per sapientiam à Deo acceptam non sanctè diuinis in diuina vtentes * diuinā dice retemnēt cultum, & per multam vanam gloriam Poëtarum seruitutem inducere studeant creaturæ potiùs quàm creatori. Vnde & Apollofanij sofistæ cultoris scilicet solis faciens mentionem, & Sancto Polycarpo de eo suadens, acti in sole sub Ezechia miraculi recordatur, cui fidem accommodare isdem Apollofanius detractauit, atq; vt ei nō possit monenti resistere, beatum Policarpum instruit, & rememorari eum Apollofanio petit de si-

*Nota et hic υ, p i Latinū efferri.

*Fortè diuinum, nisi quod Græcū fœmininū latriæ illi ob oculos uersans imposuisse uideatur.

ſigno tenebrarũ in Saluatoris crucifixõe facto, earũdẽq; tenebrarũ acceſſionẽ, & receſsionẽ ab Oriẽte in Orientem exſtitiſſe mirabilem, ſicut in Iliopoli ciuitate pariter conſtituti viderunt. Addens & verba quæ ei tunc ſæpè fatus Apollofanius dixerat, vtì pleniùs in epiſtola ad ipſum directa infrà docebitur, quam ob pleniorẽ geſtarum rerum cognitionem, huic ſubnectere iudicauimus, habentem ſe in hæc verba: Apollofanio concreto, & * cõphiloſopho, nũc ad te mihi ſermo dirigitur præcordialis amor, multos tibi ſolicitudinum mearum angores de te replicans. Deque mihi mente, ſuper vecordi notæ tibi friuolitatis diutina pertinacia arguens, & de te fanatica inluſionum fantaſmata inſultans, ſupernaturalem modificationẽ benignitatis Dei, magnificẽtiſsimè & diligẽtiſsimè ado rãdo tibi benè reſipiſcẽti pars aĩæ

Epiſtola ad Apollophonẽ Dionyſij à Græco quõdam conuerſa.

** Erat, phlõ, & cætera ut habet textus.*

meæ

meæ coniubilo, tuisque te despe-
ctionibus compellabo, vt illa tibi
iteratò commendem, quorũ pri-
dem cõtempseras notionem. Fre-
quentissimè quidem & diligen-
ter sacris dilucidam tibi Moyse
prodente, à Domino hominem
limo factum, & transgressiones
eius cataclysmo piatas. Sequẽter
quoque eum in amicitia sumptũ,
multaque in Ægypto & egressio-
nis suæ itinere pro eo,& in eo fe-
cisse magnalia. Atque Theologos
multímodos effecisse, quorũ prę-
noscentia Deus humanatus fieri
ex virgine est dignatus. Vnde mi-
hi responsalia multotiens remisi-
sti, non solùm te hæc esse vera,
funditùs ignorare, verùm & quis
idem Moyses fuerit pernescire,
Euangeliumque Iesu Christi, Dei
totius maiestatis, quod meum vo
cabas* rẽnuere: Paulum verò ho- *Sic exemplar.
minem mundi circuitorem, & se- Num ergo Apol-
miniuerbium, de materialibus ad lophanius ex ijs
imma-

fuit qui Actorum 17. Paulum his epithetis uocitabant?

**Erat transfunderim, sed correctum.*

immaterialia non velle ſuſcipere. Immò me refellendo quoniam paterna religionis iura degener omittens, in ſacrilega nefaria me* transfuderim, hortabaris aut ea quibus innitebar dediſcere, aut his derelictis, paterer mea mihi ſufficere, & nō numina diuina, ſeu leges primas derogarem. Vt autem lux ſuperna paternæ gloriæ ſplendorem in tuæ mentis tenebras radiare ſuo propoſito deſtinauit, penetrabilibus cordis mei infudit, vt tibi memoriale pijſſimũ recordarer, qualiter in Iliopoli penè cœne mihi, ergo quinque ferè annorum tempus exoluens, pariter morabamur. Cum feria quadam ſexta fermè* ora etiam quaſi ſexta luna ſe ei initiente, ſol eſt horribiliter obſcuratus, quia non Deus, ſed creatura Dei lucis ſuæ occubitu lucere nequiuit, queſtus que ſum apud te, quid hinc tibi

Hoccine ethnicè dictũ uidetur, & quidem ad cathechumenon.

**Nota & hîc deesse aſpirationem*

bi prudentiſſime videretur: ex quo prudētia tua reſpōdit, quod adeo tenaciter cordi mentis inhęſit, vt nulla obliteratiōe abradi, nulla mortis imagine valeat aboleri. Obfuſi namque orbe vniformiter tenebrarum caligine tabeſcente, vt purgatum redijt ſolis diametrum, regulam Philippi Aridei adſumpſimus, cumque reperimus, quod & erat notiſſimum, eotenus fatigatione eclytica, ſolem pati moleſtias non debere, & lunam ab oriente ſolarem fulgorem velis rhópicis obducētem, ſolere in occidua ora captare perfugia: tūc aūt lucigenos theſauros caligines, quas genuerant vſque in iliacos terminos, vt putauimus proferentes recōdere occidentes, præſertim cùm lumen deeſſet, & nec conuentus tēpus propinquaret, aio ad te peritiæ vaſte ſacrarium, adhuc neſcius tantæ rei myſterium, &c. inquam ſpeculum

lum doctrinæ Apollofani, his fecretis afcribis. Ad q̃ mihi tu (inquiens) nomine diuo, & non humani fenfus fermo. Ifta ó bone Dionyfi, diuinarum retributiones funt rerum: denique notatum feriæ diem, & annum anunciarim, q̃ Paulus auribus noftris fufpenfis infonuit fignis acclamantibus cōcordare expertus dedi veritati manus, & falfitatis * funt nexib. abfolutus, quam ineffabiliter effero, tibiq; infero, quæ eft & via acuita, & verum lumen eft, quod inluminat omnem hominem venientem in mundum, cui tu tandem vt verè prudēs cefsifti. Cefsifti nempe vitæ cùm abducafti mortem, cuique benè facies inhærendo, cùm hinc nobis artiùs iunctus eris. Is * enī eft illud eft, cuius me fulgore obtenebrans, eras folitus hinc inde fucis multicolorijs, & multitiplicibus, & iam intra penetralia infuliginare, & acuminatis fpiculis

Fortè fum erat

**Innuit fignum quoddam manufcripti exemplaris, pro Is, id, legendū effe, ni fallor, cum cōmate poft primū Eft: cùm alterū redūdet: uel nifi afynteto utatur, ut et initiò Epiftolæ.*

lis terebrare. Quoniã vt fatebare illi' notitia sapida nosci, vt inhiabas mentali palato se resultabat, & dedignans in ventre tuæ notitiæ sedem sumere abnuebat.*Sic sic modo cognoscentia &prouida corda gerens, suspice, ne pro his qui nõ sunt,* est verum remutes, & pertinacior ad falsa temptantibus esto, qui ad verum est, sugerentibus nostris votis extiteras, ita nam in Iesu esse è vita mea lætus iam moriar, cum ipse in eo viues.*Dimophilũ nihilominus de ꝓprio actu horribiliter increpas, quoniam eũ qui à fide apostatauerat prohibuit recipi, valde vtilem scripsit epistolam, exẽplis ac scripturarum testimonijs in modum serti de agro pleno sanctæ scripturæ, cui benedixit dominus collecti redolentem. In qua vbicunque vocabulo Domini saluatoris vti illum causa poposcerit, benignum eum appellat. Quam

*Iã tertio asyndeto utitur.

*Quid si, quòd uel, qui, est præponatur?

*Rursum ÿ ut i. Epistola ad Demophilũ, et eius argumentum.

Demophilus Nõuatianus uetat recipi Apostatã. Vtilitas magna epistolæ ad Demophilum.

Nota Dionysiũ in epistola eadem Christũ semper benignũ nũcupare.

etiã ſi quis intentè perlegerit,nõ mediocriter,cuius benignitatis & miſericordiæ ſit Ieſus dominus, quantũ poſſibile eſt homini,cognoſcere intuebitur,& qua fiducia ꝓlapſum ſi cõtigerit ad benignũ recurrere qſquis ꝓuidebit. Miniſtrorũ eccleſiaſticorũ ordinem & excellentiã atq; auctoritatẽ ſacerdotũ,in ea pleniſſimè ſatis oſtendit. Cui hanc quoq; non dicam fabulam, ſed rẽ ſpiritalẽ ſpiritaliter geſtã ſubiũgit. Quã hîc ob vtilitatẽ iſta legẽtiũ,in quorũ manus fortaſſe plenitudo ipſarum nõ perueniet literarũ, narrare cenſuimus. Ait enim poſt multa & inter alia. Nõ habemus inquit Põtificẽ, qui nõ poſſit cõpati infirmitatib. noſtris, ſed ipſe innocens & miſericors,non erumpet,neque clamabit. Mitis enim eſt, & propiciatio pro peccatis noſtris, Quapropter nõ recipiemus ô*Dymophile tuos zelãtes impetus,etiamſi decies millies reſumas Fineẽ, & Heliã,

Tertia utilitas in cleri diſcrimine, dignitate & poteſtate addiſcẽda.

*Dy pro Dꝗ uel De, rurſum contra Checum.

cùm audierimus illa quæ placebant & diſplicebant benigno Ieſu à diſcipulis eius, q fuêre in carnis cõmoratione participes manſueti & benigni ipſius ſpiritus: docere em̃ nõ cruciare oportet ignorantes, ſicut cæcos nõ cruciamus, ſed manuducimus. Benignus nãque erranté inquirit, & refugienté vocat, atq; vix inuentum in humeris tollit. Qui & refugiẽtib. cupidè iungitur, & non dedignatur dedignari à ſe reijciẽtibus, & ſine cauſſa prouocantes ſe tollerat & ipſe excuſat: immò promittit mederi eos, & adpropinquãtib. ſibi præoccurrit & obuiat, & totus totos cõplectẽs deoſculatur, & non accuſat aut improperat eis priora eorum, ſed diligit præſentia & diem feſtum agit, & conuocat amicos benignos videlicet angelos, vt ſit omniũ delectantiũ habitatio. Quicũq; igitur iniquè agere aut benefacere incipiũt, illos

Nota tam Dionyſij quàm Dei in peccantes & errantes clementiã & mãſuetudinẽ.

ſibi ſpiritus benignitate aut malitia ſociant, quorum voluntatem facere inchoant: & hi quidem benignorum angelorum diſcipuli ac comites, ad ſemper exiſtens ſpeculum beatiſſimas ſuas delegant terminationes, vbi ſemper cum Deo erũt: quod eſt bonorum omnium maximum. Iſti autem & hic decident à Diuina ſimul & perpetua pace, & poſt mortem cum domeſticis ſuis dæmonibꝰ erũt. Nõ ergo oportet vos multa feſtinatiõe cũ Deo benigno ꝑ multam benignitatẽ & miſericordiã fieri, & ſemper manere cũ eo, & ſegregari de malis iniuſtificationib. noſtris. Atq; poſt pauca. Et ſi vis, ait, diuinã viſionẽ ſancti cuiuſdã viri referã tibi, quã nõ deridebis: vera eñ dicã. Cũ eſſẽ aliqñ ſecus Cretã, hoſpitio me ſuſcepit S. Carpus, vir & ſi aliquis alius ꝑ multã mentis munditiam ad Dei viſiones diuiniſſimus. Qui non incho-

Hiſtoria beati Carpi.

choabat ſanctas myſteriorũ cõſe-
crationes, niſi priùs ei oſtẽderetur
de ſupernis propitia viſio, oranti
ante oblationem ſanctiſſimi ſacri-
ficij. Cõferentibus namq; nobis
quædã adinuicẽ, retulit mihi idẽ,
ſe nimis contriſtatũ à quodã infi-
delium. Cauſa aũt erat ipſius tri-
ſtitiæ. Quoniã iſdẽ infidelis * cele- *Deeſt fortè, cùm.
brarentur dies feſti eorum, aberra
re fecit quendã fidelẽ à benigno
Ieſu Dño nřo. Quẽ conſolãs, ſua
ſi ei opportunũ eſſe, vt ꝓ illis di-
uinã clemẽtiã peteret, & à Deo ſal
uatore opitulationẽ accipiens, in
fidelẽ qdẽ cõuerteret, apoſtatã au
tẽ benignitate vinceret, & ortãdo
eos conuerti donec eſt hodie nõ
deficeret, ſicq; illos in diuinã ſciẽ
tiã duceret. Sed is hoc paciẽter nõ
ſufferens, & neſcio quomodo mul
ta quadam inueſtatione & ama-
ritudine tabeſcens, dormitum
perexit, ex hoc malè habens. Ve
ſperi em̃ erat. Circa mediam au-

tem noctem, solicitus namquē erat isto in tempore ad Diuinos ymnos euigilare, surrexit ex somnis, & turbatione nimia anxians, stetit ad orationem, non benedicēs: tristabatur enim & grauabatur vltra modum, dicens non esse iustum vt viuerent viri qui erant sine Deo & peruertebant vias Domini rectas. Et hæc dicēs postulauit Dominū, vt* igne cęlesti ambo simul immisericorditer amitterēt vitā. Quod cùm dixisset, statim est raptus in spiritu, & visum sibi fuisse dixit, vidisse se repēte domū, in qua stabat, cōcussam, & à culmine per medium in duas partes diuisam, & ita se sub dio remansisse. Quendam & rogum multo igne flammantē, usq; ad ipsum descendentem. Cælum autem ipsum totum accensum, atque in parte australi Iesum benignum in throno sedentem, & adstantem ei, in hominum speciebus

Carpi ad Hymnos nocturnos surrectio.

**Igni habebat, sed pòst commutatū in e, hoc modo, igne.*

ciebus inæſtimabilem angelorum numerum. Hæc videns deſuper, & admirans Carpus, cùm ſe incli naſſet deorſum, vidit terram horribili hiatu apertam, & tenebroſum baratrum hiſcens, & eoſdem viros de quib. templabatur, ante ſe in margine lubrico tenebroſiſſimi baratri ſtare trementes & miſeros nimis, nondũ tamen deiectos ab inſtabilitate lubricationis, in qua vacillantes conlabebãtur. De deorſum vero *baratri, vidit ſerpẽtes horribiles repere, & circa pedes eorum ſe ſubijcere, atq; interdũ illos trahere inuoluẽtes ſe eis ſimul & cruciãtes eos. Aliquãdo etiã dẽtib. trahebant & vellebant ijdẽ ſerpẽtes eoſdẽ viros, q cęleſti igne cõſumebãtur, & conabãtur illos trahere in baratrũ vnde ipſi exiuerãt. Vidit quoq; & eſſe viros quoſdã in medio ſerpẽtiũ, cũ tumultu perſonantes, & percutientes atque impellentes in baratrũ

*Semper ſine aſpiratione tri.

eos qui cruciabantur. Videbatur itidem quosdam alios viros accessisse ad illos: qui volebant, vt ipsi miseri in breui cruciarentur, & satisfacerent: & hi qui percutiebãt, nolebant. Cumque his quæ deorsum conspexerat, corpus intẽderet, & superna quæ priùs viderat, negligeret, & tædere cœpisset atque cessari. Quia iam rei non caderent in profunditatem voraginis, insuper immisericorditer maledixisset illis, respexit sursum, & vix se videre posse cęlum dixit, sed Iesum benignum intuitus est, miserãtem super peccatores, qui torquebantur. Et exurgentẽ illum de cælesti throno, ac descẽdentẽ vsq; ad illos, & manum benignam illis in tormẽtis positis, porrexisse; moxq; angelorum multitudines, qui cum eo descenderant, coaccaperũt illos de vtraq; parte, in qua stabant dum torquerentur: quando eis manum porrexit benignus

Iesus & continuer̃ illos. Et conuersus ad Carpum Iesus dixit ei: Carpe, manu in istos cõstituta, & non per misericordiam retracta, percute aduersum me: nam paratus sum pro hominibus resaluãdis iterum pati; & complaceo super his, quàm super alijs hominibus, qui non peccauerunt. Veruntamen vide si sic benè habetur tibi in Baratro cum serpentibus mansiones commutare, sicut mecũ ac humanis angelis esse: Ista sunt q̃ ego audiens credo vera esse. Hæc ad *Dimophylum dicta sunt. Tito verò interroganti per epistolam, quæ est sapientiæ domus, & quis est crater, & quæ esse eius, & qui potus, luculentissimè & disertissimè respõdet. Et quàmuis breuis sermonum, tamen lepóre sensusq́; honorabilitate egregia ad Ioannẽ Apostolum & Euangelistã in Pathmo insula *religatũ, cõsolatoria & prophetalis extat ipsius epistola, qua

*Di pro Dy, e, iterũ cõtra Checũ.

Epist. ad Titũ & eius materia.

Epist. ad Ioãnem Apost. & Euãg. Diony.

*Nota pro Checo hic i, pro e, etiam latino usurpari.

qua prædixit ei, ſicut ex Deo didicerat, quòd adhuc de exilio rediturus, & in Aſia Euangelium foret prædicaturus. Quã etiam hîc geſtorum narrationi inſerere dignum duximus ita exordientem:

Eius epiſtolæ cõuerſio.

Iohanni Theologo Apoſtolo & Euangeliſtæ determinato & credito Patmo inſulæ. Appellans ſacrã aĩam dilectiſſime: eſt mihi hoc ad te apud Apoſtolos præcipuum. Aue vere dilectiſſime à dilecto & deſiderabili atq; cariſſimo valdeq; amãtiſſimo. Quid mirũ ſi Chr̃s verũ dixit: Et iniqui eius de ciuitatib.*perſequatur diſcipulos. Digna ſiquidẽ eis agũt, cùm à ſanctis ſcelerati ſe ſegregant: verùm abigentes & ſecernẽtes eos, ex viſibilibus inuiſibiliũ* pterũ imaginem. Neq; enim in ſeculis venturis erit culpandus Deus de iuſtis ſegregationibus, cùm impij ſeipſos fecerunt ſecretos ab illis, & pios iam cum Deo inde videamus

**Lege, perſequantur.*

**fortè rerũ, uel prætereunt.*

mus effectos: quoniam veritatis cùm ſint amatores, à libidine quidem recedunt rerum mortalium, ac in omnibus malorũ omnium liberi cupiditate diuina bonorum omnium pacem diligunt, & ſanctificationẽ, & de præſenti inchoant vitam futuram, angelicè decéterq; in medio hominum cõuerſantes, cũ omni animi affectiõe, & diuina noĩatione atq; benignitate, ſeu cæteris bonis. Quaꝑpter nõ vos hoc cõturbet, quaſi ſuſpicantes non pati, ſed & corporis paſſiones tantummodo iudicare: non autem eas te credo ſentire. De his verò qui iniquè agunt in vos, & determinant vos non rectè, Euangelij ſolem conueniens inuoco. His omiſſis, qui ſeipſos agunt in bonũ cõuertere, nobis vos opto adiungere, & luminis participes eſſe. Nos autem nulla aduerſitas priuabit à Iohanne ſplendidiſſimo radio. Nũc qui-

quidem interpellans memoriam, & renouationẽ duæ veræ Theologiæ, paulò pòſt etſi audacter dico voſipſos mihi coadunari. Idoneus autem omnino ſum prænuntiare tibi, & diſcens ex Deo, & dicẽs: quia & Patmo carcere dimitteris, & in Aſiaticam terrã reuerteris: ibiq; ages benigni Dei imitationes, & his qui poſt te futuri

Alia generatim opera Dion. perſtringit, & in iis differentes ad diuerſos epiſtolas.

ſunt, eas trades. Multa prætereà tã voluminibus, quàm differentibus ad diuerſos epiſtolis, vt fluuius eloquij myſtici édidit, & velut oraculũ Sãcti ſpiritus, pręcipuo opere & vero ac philoſofico magiſterio *præſagauit ad ſubuertẽdos errores, & diſtribuendos nodos ſy[illegible]logiſmorum Gentilium, atq; euacuandũ cultũ Idolorũ, ſeu cõmendãdã patriæ cæleſtis beatitudinẽ, & æternæ vitæ immortalitatem; quorũ magnifica excellentia exiguitatẽ noſtri ſenſus videtur excedere. Plura etiã ſcripſit, quę nõ eſt dubiũ, noſtrã notitiã latêre.

**Sic exemplar pro, præſagiuit.*

Scopus & conſilium êdendorũ et êditorũ à Diony. librorum.

Alia item opera eiuſdem, nobis ignota.

Paulo autē Romæ, & primā ſuā defenſionē in occiduis partibus, vt ſibi ipſe prędixerat, Chriſtū teſtificante, pretioſus & facundiſſimus * Dionyſius, q à patria Ionicus, Chriſtiano aūt agnomine, ꝓpter maximā ſanctitatē vocabatur Makarius, quod interpretatur beatus: ne poſt diſceſſum magiſtri, lupi rapaces, & gregi non parcētes, dominicas oues inuaderēt, quod inſtitutor ſuus plātauit, abundāti ſollicitudine rigare cōtendit. Vnde vicinas & lōgè poſitas pertranſiens ciuitates prædicādo, & ad fidem populos conuertendo, fideleſq; in verbo cōfirmando, atque oppreſſos varijs languorib. ſanando, vſq; Troadis ſeceſſit, Euangelij gratia. Atq; in ijſdē partib. aliquāto tēpore * deguit: ſed & poſt aliquot annos cū * pœlio Lacedæmoniorū poſitus, Petrū & Paulū Apoſtolorū capita Romę tētos, & Petrū ergaſtulo, Paulū ſecūdò vinculis

Redit ad hiſtoriam uitæ Dion. et tēp' deſignat.

** In exemplari erat Dyoniſius.*

Dion. Ionicus unde dictus, & à Chriſtianis Macarius, quo noīe à Damaſceno li. 3. c. 19. & ab alijs, & eodē alibi nuncupatur.

Dionyſij p Græciā Euāgeliſmus, quādo fieri inſtitutus, & quouſq; pertigerit.

Troadē uſque Dion. euangelizauit.

** degit fortè.*

** fortè populo.*

Vt Dionysius sibi Episcopū reuersus ab Euangelismo subrogauerit.

culis peruulgata fama adfici comperisset, Athenas rediēs subrogato sibi Episcopo plebē tradidit, & p cōtiguas parochias, verbi spargens semina, quotenus Romā peueniret cum quibusdā officialib. quos sibi comites sūpserat, nauiter ministrauit: sicq; Achiuæ alūnus fortunæ, & doctus architectus Ecclesię se Romanæ amplitudini cōtulit, & cōtulit cui doctrina ac miraculorū memoria manet nequaq̃ deseruit. Magno em̄ Apostolorū amore, & martyrij desiderio festinātiæ itineris, Romam accelerans insistebat, vt simul cum eis, si ita vellet Christus, occūberet: sed nota eius pręuenit dispositio diuina, & viri diabolici dementissima satis vesania. Nā cùm impijssimus Nero, terra mariq; imperij sui, frena làxasset, & nimiæ voluptatis successu inter cętera nequitiarum suarum cumulamenta, & iam furor crudelitatis eius dira rabie in

Dionysij martyrij quantum desideriū.

Nero cuiusmodi Imperator, & quoto eius anno Petrus & Paulus Romæ martyrio sint affecti.

in Christi famulos ebullisset, quartodecimo imperij sui anno, antequam beatus Dionysius Romam adiret, sanctos Dei Apostolos alterum per crucis tropheũ: alterũ autẽ gladio animaduersum felici cruore perfusos, & martyrij gloria dignos transmisit ad superos: seq; viuendi faciens finẽ obitu nefãdo, vt fuerat & vita, in breui destinauit ad inferos. Pretiosus denique Dionysius, cum arcis Romanæ mœnibus sui auspice Christo præsentiã intulit, qm̃ fidei necessitas & ad suscipiendũ Dei verbũ, euidentis in gentib. quas pertransierat, ostij apertio eum morosiùs detinuit, B. Clementẽ Pontificem sãctæ & summæ Apostolicæ sedis, iam apicem gubernãtem inuenit. A quo idẽ gloriosus Domini Atheniẽsium Archiepiscopus Dionysius, mox vt se potuerũt inuicẽ salutare, digno est cũ honore susceptus, & ꝓ sanctitatis ac eruditionis

Vide ut hic iterũ capita incipiat annumerare in prosequutione historiæ.

I.

Interitus Neronis, commeritus persecutione infidelium.

Quàmuis Dion. sub Nerone cœperit Romã uenire, tamẽ salus obuiarũ gentiũ eum in Clementis Põtificatum, qui decimo Domit. cœpit, detinuit.

Vita, et cōnictus Dion. cum B. Clemente Romæ.

tionis ſuę reuerētia, ſeu anterioris fraternitatis cōiūctione loco maximæ veneratiōis eſt habitus. Cū quo & iā prę mutua tua collocutiōe apoſtolicarū ſanctionum, & dulcedine ſpiritalis dilectiōis aliquandiu familiariſſimè conuerſatus, immodici amoris vterq; vinculis, ſeſe * conſtrinxerūt. Sed cū Deus omnipotens * veri ſolis Domini ſcilicet Ieſu Chriſti radio ſplendidiſſimo & orientali, id eſt, ſanctiſſimo Dionyſio occidentales tenebras vellet ſua gratia inluſtrare, & murū validiſſimū infidelitatis, qui totius Gallię & Germaniæ terminos penè inremediabiliter occupauerat, ꝓuideret ariete tali deſtruere, tātoq; peritiſſimę eloquētię ſpiculo, gētilitatē ꝑfodi, quo antè vt munitiſſima defenſiōe erat ſolita gratulari: atq; oēm hāc Galliā ipſiꝰ Dionyſij apoſtolatu diſponeret ſubleuari, q̄ Mercurio dæmoniaca ſeruitute

** Priùs habuerat conſtrinxerant, ſed a eraſo, u ſubſtitutum erat.*

**Prius, uiri, fuerat. ſed ueri emendatum.*

11.

Gallia & Germania à Dion. illuſtrantur fide.

Inſigne Rom. Ecclеſ æ principalitatis argumentū.

Mercurius Gallorum Deus.

con-

constabat miserabiliter ancillari, B. Clemẽtis cor tetigit, & vt istiusmodi verbis pretiosum Dionysiũ accẽdit. Vides inquit S. Clemẽs, mi frater karissime Macari Dionysi, quãta est mestio dominicę satio nis, & q̃ pauci sunt operarij: qa ergo de omnibus catholicæ pietatis es sufficienter edoctus, & omni Christiana virtute, ac religiõe admodum roboratus, perge in nomine Domini partes aggrediens occidẽtis, & vt bonus miles Christi præliare prælia dñi Dei tui, atque sicut Dominus Iesus Christ magistro meo Petro tradidit, & ego sanctæ hæreditatis iure suscepi, vt in ligandi soluendiq; auctoritate tibi semper præstò sit Diuina potestas, nostris orationib. comitatus, & sanctorum apostolorum intercessionibus roboratus, in tui Apostolatus sorte, Apostolica nostra auctoritate, omnem suscipiens Galliam, opus fac Euã-

Clementis Pontificis max. de Dion. eruditione & fide testimoniũ.

Hîc apertè potestas ligandi et soluẽdi distĩguitur ab episcopatu, et ad apostolatũ dicitur propriè pertinere ceu iurisdictionem.

Potestas ligandi & soluendi Dion. à Clemẽte datur, quæ Clementi à Petro: et oratur ut diuina potestas semper sit præstò. Vide ca. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ.

gelistæ, ministerium tuũ imple, vt Christi notitia ꝑ te vbiq; diffusa, à domino in die retributiõis merearis audire: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituã, intra in gaudiũ domini tui: & ne verearis multitudinẽ & atrocitatẽ gentis barbaricæ, pro certo sciẽs, qa q. pl9 laborat, plus mercedis accipiet.

III. *Socij, et uerbi cõministri Dion. à Clemẽte additi.*

Socios quoq; ei & comministros verbi plures & ꝓbatos viros adhibuit, illiq; dixit: sicut fuit dñs cum dñis & patrib. & magistris nostris, apostolis suis Petro & Paulo, ita sit tecũ in omnib. quòcũq; te verteris. Esto robustus, tu eñ maximã & innumerabilem populi multitudinẽ introduces in veram repromissionis terrã filiorũ Israël.

Prophetia Clementis de efficacia prædicatiõis Dionysij.

Dat pacem Pontifex Apostolo & socijs.

Et dans pacẽ omnibus, ita hanc veræ fraternitatis societatem soluit abire. Qui simul properãtes, & circũcirca dominũ predicãtes, appuleñ portui Arelatẽsiũ ciuitatis. Et

exinde

exinde quibusdã in partes necessa- Iiii.
rias ꝑut ei visũ fuerat destinatis,
idem Makari9 Dionysius, q̄ sedis
apostolicę priuilegio, tradẽte sibi
B. Clemente Petri apostoli succes-
sore, verbi diuini semina gentib.
Gallicis erogãda susceperat, beatis-
simi principis apostolorũ & magi-
stri sui informatus exẽplo, q̄ Ro-
manæ crudelitati se propter Iesũ
Chr̄i nomen immersẽrãt, quò am-
pli9 apud Gallias gẽtilitatis ferue-
re cognouit errorẽ. Illuc intrepi-
dus & calore fidei armatus acces-
sit, ac Lutetiã Parisiorũ dño ducẽ-
te ꝑuenit. Doctrinaq́; præclarus,
miraculis choruscãs & virtutũ sig-
nis, q̄ Atheniẽsiũ magister Paulo
docẽte didicerat, Gallijs ministra-
uit. Nõ veritus incredulę gẽtis ex-
petere feritatẽ, q̄a virtutẽ suã ꝑte-
ritarũ pœnarũ recordatio robora-
bat, tormẽtis expert9 multis, mor-
te tãdẽ assequuturũ se vitã. Tota
nihilominus intẽtione desiderãs,

Sedes Apostolicã Dion. tradit Euã gelismi auctoritatem.

Aduentus Dioñ. Parisios, & uirtutes eius.

Fortitudo ad martyrium, & studiũ fidei propagandæ Dioñ.

vt qui iã erat Christi nominis inter multa tormentorum flagella perfectus confessor, fieri mortis multatione mereretur & martyr.

Dion. confessor.

V. Tunc memorata Parisiorum ciuitas vt sedes Regia, & cõuentu Gallorum ac Germanorum nobilitate pollebat, quia erat salubris aëre, iocunda flumine, fœcunda terris, arboribus nemorosa, & vineis vberrima, constipata populis, referta commercijs, ac varijs cõmeatibus, vnda fluminis circumfluẽte. Quæ siquidem inter multimoda commoditatum genera, etiã alueo suo, magnam piscium copiam ciuibus ministrabat. Hunc ergo locum, Dei famulus elegit expetendum. Ad quẽ cùm primò fide armatus, & confessionis constantia roboratus accessisset intrepidus, atq; ibidem deductiore tẽpore immoratus, maximam Chri gratiã in lucrandis populis fuisset ĩdeptus, quẽdã Lisbiũ virũ honoratissimũ ciuitatis Parisiacę, q ei9

Descriptio ciuitatis Parisiensis. Germaniæ nobilitas Parisijs.

p̃dicatione in dñm Iesum Chr̃m credidérat, & illi fideliter adhære bat, allocutus est, dicẽs : Vir illustrissime, q̃a iã operãte gratia Iesu Chr̃i dñi nr̃i plurima populi multitudo in credulitate, & cõfessiõe sui sancti noĩs, benedictiõe baptismatis cõsecratur, & quotidie fideliũ numerus augmẽtatur, visũ est mihi secretarij tui agrũ p̃cio à tua fraternitate suscipere, & domũ baptismatis ibi cõstruere, ac cõsecrare, quô ad laudes diuinas sacramentorum ministris celebrantib. populus Deo dignus possit cõfluere, & charismata diuina percipere. Cui Lisbius, Gratìs inquit, eũ pater beatissime offerã per sanctitatẽ tuã dño Iesu Chr̃o. Nõ, ait B. Dionysius, ita nobis in huiusmodi negotio est agẽdũ, q̃a Deus & dñs noster Iesus Christus, p̃ nostra salute operãte spiritu sancto, ex B. Maria semper virgine, cũ ipse fecerit mũdum, in locato est diuersorio

Lisbius nobilis uir, primus in Gallia Dion. discipulus.

Benedictione Baptismatis consecramur.

Ecclesiæ ædificatio, & ad quem finem.

Domus Baptismatis consecratur.

Offertur per Episcopum Deo à Lisbio.

VI.

Renuit gratuitũ fundum Ecclesiæ Dionysius Christi exemplo.

Matthaei 27.b. εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις. Aceldema

Dion. est sepultu ra captiuorum & non quorum= uis peregrinorũ.

** In exemplari erasum erat n, legebatq; sangui nis, & extrema syllaba in com- mercio iuncta e= rat cum prima uocis sanguinis.*

VII.

Precium dari pauperibus non sibi aut Deo a= grũ petit Dion.

Dion. officia cle- ricorum consti- tuit.

natus. Quaptopter nõ videt̃ ęquũ vt gratìs accepto agro pręparẽ domũ. In qua ei filij adoptiõis ꝑ nostrũ ministeriũ renascãtur. Sed & de eius ꝑtio captiuorũ est sepultura cõparata. Propterea rationabile iudicatur vt ꝑtio sumã loco, vbi illi q in cõmertio*sanguinis illius morte intercedẽte, de captiuitate Diaboli & mortis perpetuę baptizati fuerĩt rędimãtur. Cõmutationẽ verò ꝑcij, Christi pauperib. largieris, q te illi deuotissimè obtulisti. His ita expletis, ecclesiã illic Dei, se omnipotẽtis semper in omnib. & vbiq; comitãte auxilio, iuxta facultatẽ suarũ viriũ, vt q̃ nouus adhuc aduena poterat, in honorẽ dñi nr̃i Iesu Chr̃i, q̃ nec dum locis illis & populis nota erat cõstruxit, ac officia deuotę dño seruientiũ clericorũ ex more cõstituit. Probatasq; ꝑsonas honoris secũdi ordinis ampliauit, incessanter restituẽs populos creati, quos à deuio cultu reuocauerat creatu-

rę. Cinctus ergo fide, & deuotiõe populi, quam in constructione, & reuerenti basilicæ frequentatione cernebat, admodum roboratus, Deum & dominum nostrum Iesum Christum, quem pectore purissimo nouerat, & corde ardentissimo diligebat, insinuare gentibus non cessabat: cũctisq; misericordiam eius in hoc tempore, & iudicium futurũ proponens, paulatim sociabat Deo, quos diabolo subtrahebat. Atque totis exhortationis nisibus, & signorum prodigijs satagebat: quatenus quos abripiebat mundo, dignos faceret cælo. Tãtas autem Dominus per illum dignabatur exercere virtutes, vt rebellium corda gentilium non minùs miraculis, q̃ prædicationibus obtineret. Et cùm sæpissimè ab idolorũ Pontificibus cõtra eum seditio excitaretur in populis, ita vt plebes innumeræ etiã, & de vicinis regionib. cum armis, ac bel-

Capita doctrinæ Dion. miseric. huius uitæ, & futuræ iudicium.

VIII.

Dion. à turba à sacrificiis impulsa, petitus armis permanet tutus, ea uel conuersa, uel deterrita diuinitùs.

Lux in Dion. radians quàm efficax.

Gallia & Germania cedunt Dion.

Galli & Germani in sua idola sæuiunt.

bellico apparatu, propter fideles qui iam per illum in Christũ crediderant, ad perdendum eum gregatim vbi ipsum esse audiebant, concurrerent: mox vt illum cernere poterãt, tãta & ita ineffabiliter in eo lux cælestis gratiæ radiabat, vt aut omni ferocitate vnà cũ armis deposita, se illi ꝓsternerẽt: aut qui cõpuncti Spiritus sancti dono ad credendum nõ erant, pauore nimio soluerentur, & territi à præsentia eius aufugerent. Miroq; modo inermi viro non valebat plebs armata resistere: sed subdebat se illi potiùs certatim, Gallicanus coturnus, atq; Germanica ceruicositas: iugumq; Christi suaue imponi sibi acta cordis contritiõe poscebat. Ab ipsis quoq; destruebãtur idola, quorum sumptu fuerant & studio fabricata. Et inuento salutis portu, idolorũ gaudebant perire naufragia. Lugebat quoq; portio victa diaboli, cùm

de ea victrix Ecclesiæ legio triũphabat. Tunc hostis antiquus videns sibi perire, quod domino cõstabat asiduda populorum conuersione proficere, totam artificij sui machinam, ad impugnanda quæ fuerant constructa, cõuertit. Vnde suæ partis auctores deorũ suorum flentes exitia, quos ad impietatem persecutionis in eos armauerat, qui vnum & verum Deum, Dominum Iesum Christũ cũ Patre & Spiritusancto colendũ pdicauerant & timendum, pariterq; in eos, qui hanc salutis fidẽ deuoto corde receperant. Cumq; malè cupierant perficere propter fidelium multitudinem nõ valerent, hac calliditate suæ artis instruxit, quò efficerentur compotes voti sui, vt Domitiano, qui post Neronem, perditionis filium, secundã persecutionem in Christianos exercuit, super virtutum & prædicationis præconio sancti viri, quod

Multitudo fidelium etiam formidabilis paganis.

Fama Dion. etiã Romam ad Domitia. pertingit.

ſe iam longè lateq́ue diffuderat in timarent: quatenus ociùs Deorũ ſuorum venerationi conſuleret, q̃ iam etiam ab ipſa hominum memoria per Dionyſiũ vt aſſerebant quendam præſtigiatorem & magum inuictiſſimũ eiuſq; ſequaces abolebatur. Quæ audiens immaniſſimæ crudelitatis bellua Domitianus, in tantam rabiem indignationis exarſit, vt vbicunque per ſe vel ꝑ ſuos ſatellites Chriſtianum quẽpiã reperiſſet, aut cogeret dijs ſacrificare ĩceſtis, aut diuerſis pœnis addictũ, gladio traderet puniendũ: ſed & totum per ſibi ſubditum orbem in cũctis ciuitatibus, oppidis, municipijs quoque & vicis publicũ pependit edictum, vt adminiſtratiõis* infuſis ſeruiẽtes, omnes Chriſti nominis amatores exponere diuerſitate ſupplicij maturarent, ne ſupereſſe poſſet, q valeret adquirere qđ peribat. Perſecutiõis ergo publicata ſentẽtia, iniquorũ gaudens turba, in oẽm

Dion. Magus habitus.

Sæuitia Domitiani in Chriſtianos quanta.

Edictum generale Domitiani cõtra Chriſt.

**Infuſis, erat in exemplari, & ualet infulis.*

mũdi parté bacchãdo progredit, & cõtra Dominicum populũ pugnatura conſpirat. Nõ cunctati ap petere gladio, quos Dñs ſuos mõ ſtrauerat eſſe ſignaculo. Qua de re nulla iam pro Chriſto certantibus, præſentis vitæ indulgebatur tranquillitas: nulla ſanctorũ martyrum erat excuſata libertas: ſed cuncti, proh dolor, aut impijs iuſſionibus obediebãt, aut quod ſtatutum à crudeliſsimo Cæſare fuerat, perferebãt. Dirigitur proinde p̃fectus Feſcẽninus Siſinnius, tradita ſibi electa apparitiõe, cum ingẽti ſtrepitu ad partes occidẽtaliũ regionũ, vt ſanctũ ſenẽ, noĩatiſsimũq; doctrina virũ & virtutũ inſignib. præcipuũ Makarium Dion. vbicunq; repperire potuiſſet perquirẽs, aut decreto prĩcipis idolis turificare cõpelleret, aut tormentis laceratũ immẽſis, & pœnis exquiſitiſsimis tormẽtatũ, inter cętera ętiã ſecundum leges Romanas, vtpotę

Quorundam cõfeſſorum lapſus, quorundam martyria.

Feſcenninus Siſinnius præfectus contra Dio. *miſſus, quò?*

Decreta in Dio*ny. ſententia, ni relabatur ad ſuperſtitionem.*

Ergo hinc liquet Hildiuuinum nõ oĩa uertere ad uerbum, ſed undiquaq; collecta digerere, & de ſuo, & lucis uel cõſecutionis gratia quædam addere. Vide extr. epiſto. ad Chlu-douuicum.

vtpote eum, qui præſtãtiſsima nobilitate terrena floruerat, & cõtra ſenatus ac Reip. promulgationes, contraq́; imperium egerat, nudũ publicè virgis cæſum, ſecuri percuteretur. Itaq; cùm p̃dictus Feſcenninus Siſinnus, ſuiq́; cõmanipulares, præceptum Principis ſuſcepiſſent, pro Makarij Dionyſij inquiſitione, Galliarum penetrant fines. Quibus adhuc procul poſitis, ſancti viri celebre nomẽ innotuit. Vnde amplius efferati, curſu velociori, tumentibus animis, vultibus trucisſimis, Pariſios adiêre: vbi beatum Dionyſium cõtra incredulos dimicantem, & prędicatione continua, populi multitudinem ad fidem inueniunt exortantem. Cum quo etiã beatũ virum Ruſticũ archipresbyterũ, & Eleutheriũ archidiaconũ, quos ipſe famulus Domini in ſuis ordinibus cõſecrârat, prædicationis & diuini obſequij cõminiſtros, perſecutorum

Ruſticus, archipresbyter.
Eleutherius, archidiaconus.

torũ dirus furor inuenit. Hi ſancti viri à beatiſsimi Dionyſij nunquã ſuſtinuêre abeſſe præſentia: quos diuina dignatio æterni regni iam preſciebat eſſe conſortes, quoſq; ab inuicem ignitæ tempeſtatis inſectatio, per martyrij certamina nullo ſuæ calliditatis, aut ſeueritatis aſtu ſeparare preualuit. Deniq; aduentus præfecti Feſcennini Siſinni, cum Romanorũ militum apparitione in vrbe Pariſiorum, & per omnem regionẽ ſubitò perſonatur, & à primoribus ciuitatum Galliarum, ei occurritur. Imperialis itaq; iuſsio vrgens, ſuper capturam ſancti Põtificis Makarij Dionyſij, cum omni imperio diuulgatur. Et quia Dominus Ieſus Chriſtus diu laboranti, ſeni ſanctiſsimo, ſudores certaminum ſuorũ decreuerat proprij ſanguinis fonte abluere, quò poſſet liberiùs, carnis ſarcina liberatus, & ſuper niuem dealbatus præſentiæ illius

illius adſtare, & qui ſemetipſum holocauſtum odoriferum offerebat, ſacrificium laudis iugiter immolare: ab innumerabili penè caterua dæmonicorum virorũ curritur, & ſanctus Domini capitur, inluditur, loris duriſſimis crudeliſſimè ligatur, trahitur, & vnà cum S. Rúſtico archipresbytero, & Eleutherio archidiacono ſuo præfecti præſentiæ ſiſtitur. Quem cũ nimia ſeueritate pręfectus alloquitur, dicens: Túne es ille infandiſſimus ſenex, qui diceris Dionyſius Ionicus, & agnominaris Makarius? qui etiam deorum noſtrorum culturam euacuas, & inuictiſſimi Principis ſtatuta contemnis? Cui beatus Dionyſius ait: Senex quidem ſum corpore, ſed feruore deuotionis & fidei, atque ſalutari confeſſione Domini & ſaluatoris mei Ieſu Chriſti, maneo ſemper nouus, & nouos illi genitos per miniſterium prædicationis meæ

Dion capitur cũ Ruſtico, & Eleutherio.

Oratio Siſin. ad Dion.

Reſpon. Diony.

infan-

infantes, quos illi fons ſacri baptiſmatis parturit, rationabilitate paſcere ſine dolo non ceſſo. Sed & illius principis ſcita, qui verè eſt inuictiſsimus, innocenti opere & mundo corde conſeruo. Cui præfectus: Dic ergo cuius Numinis te profiteris eſſe cultorem, & cuius conditionis te aſſeris. Tunc hi tres beatiſsimi viri, Dionyſius, Ruſticus, & Eleutherius, ita dono Sancti ſpiritus inſpirati, & zelo fidei inflammati, ſono vnius vocis eiſdemque verbis, cùm non niſi vn9 interrogaretur, reddidêre reſponſum, ac ſi vnius hominis ore ſermo ꝓcederet. In hoc, inquiũt, manifeſtũ eſt nos eſſe veriſsimos Chr̃ianos, cùm corde credamus, ore cõfiteamur, & opere pio colamus patrẽ & filiũ & ſpiritũ ſanctũ, vnũ Deũ ac dominũ, ita vt in trinitate perfecta, & plenitudo ſit diuinitatis, & vnitas poteſtatis. Dominum autem noſtrum IESVM Chri-

Siſin. oratio.

Reſpõ. Dion. & ſociorum M.

Perfectus Chriſtianiſmus.

Fidei noſtræ ſymbolica Synopſis.

Christum vnam ex eadem sancta trinitate personam, Deũ ante omnia secularia, hominem verũ propter salutem hominum * ex beata Maria semper virgine in fine temporum factum, passum, mortuũ, & sepultum, & ab inferis resuscitatum, sedere super omnem principatum & potestatem cælestem, ad dexteram paternæ maiestatis in excelsis: Venturum ad iudicandos viuos & mortuos, & seculum per ignem, in melius immutandũ, fideliter prædicamus. Tunc præfectus dixit: Non mihi iussum est de his quiddam vobiscum agere, præsertim cũ te decrepitæ, & pessimæ senectutis nimia eloquẽtia, & profundissimorum verborum tergiuersatione, atque vltra naturam hominũ in populi seductiõe, vnà cum Magicis præstigijs, orbe penè Romano callere te innotuerit. Ex his enim Romæ satis audiuimus. Tantùm edicito, si magni prin-

*Exemplar habebat, &c.

Sisin. oratio.

principis Domitiani iuſsis obedire,& immortalium Deorum iura venerari diſponitis. Sin autem non verborum ſed verberum cõflictatione vobiſcũ viriliter decertabo. Cumq́; hęc agerentur,& ſecum pręfectus ſcilicet & ſancti domini quærerentur, quædã inclytæ familiæ matrona nobilis, multo comitatu ſtipata, nomine Larcia ſuperuenit,compellans præfectum,à Dionyſio Ionico agnomine Makario,virum ſuum Lisbium Magicis artibus mente captum,& eius tranſgreſsionibus ſociatum. Qui ſtatim quæſitus, repertus eſt & adductus,atq; in Chriſti nominis confeſsione, præfecto dictãte ſententiam mortis excipiens,trãſmiſſus eſt vitæ perpetuæ. Sãcti verò Domini,tortoribus traditi, ad pœnalia loca ducti ſunt, & in conſpectu ſanctorum Ruſtici & Eleutherij,vt tormentorum ipſius terrore ab intentiõe ſua reſipiſcerẽt:

Lisbij ergo, non Visbij ad uxoris delationem martyrium.

Ducitur Dion. & ſocij martyr.

Fortè, ductor. pretiosus campi *doctor eorum, & fortissimus athleta domini Dionysius expoliatur, & toto corpore nudus, à ternis militum ternionibus vicissim flagellatur, nec vincitur. Qui inter crepitus verberũ Dei gloriam conlaudare, & commilitones suos, vt ad hæc se inuictos præpararẽt, cõmonere: omnesq; fideles vt hinc in dominica fide corroborarentur, nõ desinit prędicare dicens: Laudem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomen sanctum eius: quoniam stigmata passionis Christi perferre dignus habitus sum pro confessione eius, in corpore meo: quid est gloria vestra ô viri fideles, & dilectissimi fratres. Ideoque videte ne deficiatis in tribulationibus meis, sed magìs armentur corda vestra, & ad similia propter amorem Domini nostri Iesu Christi offerte promptissimè corpora vestra. Flagellan-

Flagellatio Dion. à 9. militibus uicißim.

Et inter flagellā dum religio in Deum, & in suos pietas.

Psalmus eius

Stigmata dominica Dion.

gellantur etiam Rusticus & Eleu therius satis acerrimè: & immenso cathenarum pondere simul sancti domini onerantur, & in ergastulum tenebrosissimi carceris retruduntur. Indeque ad præfecti auditionem reducti, in catastis extensi & flagellati, domino gratias referebant. Tunc beatissimus & acceptabilis domino hostia Dionysius in oculis suorū super lectū ferreum, suppositis flāmis nudus extensus est, & cantabat dicens: Ignitū eloquiū tuum domine vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Propterea domine Iesu Christe omnipotentis Dei patris virtus & sapientia, qui dixisti: cùm transieris per ignem flammæ non nocebunt te, & dedisti mihi periculosiorem ignem in cupiditatibus vincere: fac & ad nominis tui gloriam hanc adustionem superare. Et sic cū ambusto toto corpore fuisset leuatus, ad bestias

Rust. & Eleut. flagellatio.

Post flagell uinciūtur cathenis.

Catastis extensi, & iterum flagellati Deo gratias agunt.

Assatur Dion.

Psalmodia eius in eo tormento.

Concupiscentia, ignis maior incendio.

Obijcitur feris. ferocissimas in rabiem multo ieiunio excitatas, ꝓiectus subrigitur. Quas cùm impetu validissimo cõspexisset, accurrere: contra eas faciens signum crucis, & suspiciens in cælum ait: Tu Domine q̃ semper idẽ es, adesto nunc mihi, eandem potentiam exerendo, quam in lacu seruo tuo Danieli misericorditer contulisti. Peruenientes autem ad eum bestiæ mansuetissimæ, procidebant ei. Præparantur quoq; ingentia clybani incendia, & in ea vir Domini, sanctus Dionysius vexillo sanctę crucis armatus proijcitur. Et hîc, inquiẽs, mihi non deeris Domine Iesu Christe, vt inlæsus hac etiam perpetui tormenti imaginaria concrematione egrediar. Rorcq́; tui Sancti spiritus, hos fidei meæ sedes rogos, qui rumpheam ignitam in custodiã paradisi, cruoris tui latice, fidelibus tuis ad vitam præbens trãsitũ, extinxisti. Inter hæc sancti

Signo crucis & oratione feræ mitescunt.

In clybanum idẽ missus iisdem armis euadit.

Paradisi rumphea Dion. chirographũ, quod contra nos ab Adamo erat, cõfectum uidetur esse. Gen. 3. d.

Dñi

Dñi, Rusticus & Eleutherius flentes, & ad pœnas similes, voto prõptisśimo properantes, vincti differuntur, non dimittuntur: cumq; extincto ad orationẽ eius *formacis incendio, beatus Dñi Põtifex Dionysius fuisset splendidior auro eductus, patibulo *cruciariæ stipitis, tormentalium instrumentorũ confixione appenditur. Vnde semper Iesum Chr̃m verũ Dominũ esse cunctis spectantib. prædicans, diutiùs tortus, nec mortu9 deponitur, & in carcere Glaucini, tres simul electi Domini, cũ fidelium multitudine recludũtur. Ducebantur sanè à delicto obligatis, iusti in vinculis, cõdẽpnãdi à dãpnatis, & innocentes à nocentibus exponuntur. Vbi cùm permultas & pernecessarias populi, qui eum sequendo carcerẽ inruperant, exortationes, & ad absentes directa institutionũ præcepta, Dominica missarum solẽpnia, vt cõfirmarẽtur

Rust. & Eleuth. flent supplicij dilationem, nõ deprecantur tormenta.

**lego, fornacis.*
**forte, cruciarij.*

Patibulo crucis & confixionis torquetur Dion.

Carceri Glaucini Dio. cũ Rust. & Eleu. & alijs plerisq; includ.

Populus Dion. sequens carcerẽ irrumpit, ita & ad absentes loquebatur.

tur

Eucharistiæ uis in confirmãdo in confeßione.
Panis fractio ĩ cõmunione. Nota.
** Legebat excẽp. resplendit, sed ita emendatum resplenduit.*
Apparitio Christi tempore communionis.
Non apparet omnib.
Hæc ex Visbio, ut responsum ad Pij epistolam testatur.
Christus ipse cõmunionem porrigit.
Beatitudo complementum communionis promissa Dion. 1.
Efficacia interceß. Dion. pollicita 2.

tur participatione corporis & sanguinis domini fideles velut iã in cælis positus celebraret: hora qua frangebatur panis sanctus, quo ipse & populus cõmunicare debebãt, * respléduit huiusmodi lux de cælo super eum & omnes qui ibi aderant, qualem nemo eorum antea viderat. In qua veniẽs, apparuit ei dominus Iesus Christus etiam cunctis videntibus, quibus est datũ videre, cũ multitudine angelorũ, & accipiẽs panẽ sanctũ, dedit illi dicẽs: accipe hoc care meus, quod mox complebo tibi vnà cũ patre meo, qui mecum est maxima merces tua, & his qui audierint te salus in regno meo. Nunc facies fortiter, & memoria tua erit in laude. Dilectio & benignitas quã habes semper, pro quibuscunq; petierit impetrabit. Huius verò terribilis & admirãdi spectaculi mysterio quanquã adhuc pagana curiositate, tamẽ miracu-

ſorũ ſollicita prædicta Larcia interat. His quoq; explicitis, adſunt carnifices, qui Chriſti famulos de ſqualore carceris educẽtes, præfecti obtutibus iterũ præſentarũt. Quibus præfectus ait: ſi prudenti cõſilio tandẽ ad vitã tenditis, immolate dijs, & viuite: ſi verò mori eligitis, mortuorũ quos eduxiſtis cadauera infeliciter inhumata, & tomẽtorũ adhuc ſigna ſeruãtia eũtes cernite, & ſi nõ reſipueritis, infelicitatẽ eorũ infelicitate excedite, & infeliciter vt deſideratis obite. Ad hanc vocem Chriſti martyres Dionyſius, Ruſticus & Eleutherius in agonia pari confeſſione fidei & virtutis conſtãtia, roborati, poſt nimia tormenta glorioſum cõplere martyriũ elegerũt. Et iudicis abſtracti cõſpectib9, ac funerib. ſibi ſãctorũ oſtẽſis, diuina iuſta & occulta laudauêre iudicia, q ſic eos in p̃ſenti humiliare diſponit, quos in cęleſti regno

Educuntur è carcere Martyres.
Siſtũt præfecto.
Præfecti oratio.
Dion. R. & E. reſponſio una.
Ducuntur.
Terrẽtur ſpectaculo aliorum M.
Eius ſpectaculi fructus.

Terrores & supplicii.
Constantiæ & seuitiæ certamē M. & carnific.

tam gloriosè exaltari ante omnē tempus decreuit. Deinde terrore subiuncto, multisque iniurijs & non antè perlatis supplicijs macerati: Christi se famulos magna cōfessionis voce pronunciant: lacerabaturq; pcipuè sanctus Dei sacerdos humana rabie, cui seruiuit & bestia: qui præcurrebat ad tormenta, ne tardè iret ad gloriam.

Desiderium Martyrij in Dion. quantum.
Altera flagell. publica M.

Prouocabat in se pœnam, vt maior esset victoria. Cōfligebāt illīc inter se carnifices, hīc palmata vox martyris ambiebat supplicia, vt tormento crescente, cresceret & corona. Quapropter iterū velut ab initio virgis in conspectu omnes sancti martyres nudi cæsi, & suis vestibus reinduti, è regione idoli Mercurij ad locū constitutū educti, ad decollationem sunt genua flectere iussi. Tūc B. antistes domini Dionysius manus expandens, & oculos ad cælos erigens ait: Deus Deus meus, qui creasti me,

E regione idoli Mercurij cap. plectuntur M.
Oratio migraturi Dio. & orantis gestus.

me, & gratia tua in vitam hanc induxisti me, qui æterna sapiētia tua docuisti me, & consilia secretorum tuorum non abscondisti à me, sed semper in misericordia & miserationibus tuis multis consolatus es me, & fuisti mecum in omnibus ad quæcunque perrexi: tibi gratias ago pro cunctis quæ fecisti & ostendisti mihi, atque dignatus es operari per me. Maximè quia nūc humilitatē meam visitasti per te, & vocasti senectutem meam tuo desiderio fatigatam ad te; sciens quia iam ex multo tempore largiùs concupiui videre te. Nunc iam domine per coronam martyrij cum fratribus meis seruis tuis suscipe me: Tuosq; tuę custodię commendo, quos ministerio nostro, & tibi tuo sanguine adquisisti: cunctosque etiam q te per nos in nomine tuo petierint, vt pollicitus es clemēter exaudi; quoniā tuū est regnū & potestas

Gratias agit pro miraculis & cæteris p se factis

Pro martyrio item.

Suscipi petit.

Commendat socios & oues.

Promissam dudū intercedendi potentiam petit obtinere.

Hæc arguūt precatorem gratū

S. Sanctum agnoscit Deum.

Ad precationem Dion. socij plebs, & pagani quoq; Amen accinunt, & hi etiam eum lamentantur.

Hebetatis securibus ex sæuitia edicti Dion. cum S. M. decollatur.

Cap. amput. lingua adhuc palpitans, Iesum Christum confiteri uisa.

testas cum Patre & Sancto spiritũ ante oĩa, & in omnia secula seculorũ. Cumq; B. Rusticus & Eleutherius, cunctiq; fideles, & multi etiam paganorum, qui eum laměntantes prosequebantur, respondissent Amẽ: positis genibus, & protensis ceruicibus vno eodemque momento hebetatis, secundum Principis præceptum, securibus decollati sunt: atque in hac fidei constantia permanentes, reddentes terræ corpora, beatas cælo animas intulêre. Talique ad Dominum meruêre professione migrare, vt amputatis capitibus adhuc putaretur lingua palpitans Iesum Christũ Dominũ cõfiteri. Quoniã vnde mẽtibus inerat amor, licèt præcisis capitibus, quod ore iã sumpserat, sermonibus æstuabat ardor, verè beata nimium, & Deo nostro grata societas: inter quos nec primus alter potuit esse, nec tertius: sed trinitatem confitẽtes,

trino

trino meruêre decorari martyrio. Quatenus fide pares, gloria coronaret* ęqualis. Tantaq; multitudo fideliũ, q̃ per eũ crediderat eadem die cũ illo, & in circuitu ciuitatis ꝑ Christi nomine cæsa, & diuersissimis ac antea inauditis supplicijs est adfecta, vt Parisijs videretur impletũ, quod de Hierusalẽ prophetico vaticinio fuerat peroratũ: Posuêre mortalia seruorũ tuorum in circuitu eius, & nõ erat qui sepeliret. Nanq; ad declaranda martyris & Galliarum primi sacerdotis merita gloriosa, vt vbi salutifer primò cœperat fructus oriri, eò amplius gloriæ pateret triũphus maximus, cunctos adsistẽtes horror inuasit, ac lux ineffabilis cũctis resplẽduit: & beatissimi Dion. se cadauer erexit, sanctaq; manu à corpore dólabra lictoris truncatum, angelico ductu gressum regẽte, & luce cælesti circumfulgente, pen-

dulis

** Aequalis, e, in fine habuit antea, sed pòst crasum, & commutatum in i.*

Martyrũ quanta aliorum quoque turba eodem tẽpore sit passa Paris. diuer. tormentis.

Psalm. 78. a

Horror & lux oborta.

Corpus Diony. erectũ caput, suis manibus ad locũ sepul. tulit, Angelis ducibus, & luce comitante.

dulis cœpit brachijs vectitare. Et facta est comes multitudo cęlestis exercitus, exanimi eius corpori: caput proprium, ab ipso monte vbi fuerat decollatus, per duo ferè milia deportanti, vsq; ad locum in quo nunc Dei dispositione, & sua electione requiescit humatū, sine cessatione ymnis dulcisonis, Deum laudās. Sed & cælos peten tia diuinorum spirituum innume rabilia agmina sunt audita, canore inæstimabilis suauitatis modulantia, Gloria tibi Domine, adiun cto frequētiùs Alleluia. Nā ꝓut di scerni potuit tantus auditus, vel vt alternatim chori angelici, hæc & alia, quorum intellectus nō po tuit percipi concinebāt. Quod videntes & audientes innumeri populi, & multi etiā persecutorū in Dominum crediderunt. Non credentes autem, nimio terrore perculsi, quiq; in suas partes fugerūt. Competens profectò erat diuinæ dig-

Angelica pompa in deportatione sui cap. Dio. quæ adfuerit, q̄ hymni & epinicia cā tata.

Quot eo prodigiō conuersi.

Increduli fugerunt.

dignationi, mirificatum ſanctum ſuum in cælis taliter demonſtrare in terris, qui ad ferociſsimos populos inclytus nũcius & cõfeſſor ipſius pretioſus, ſuccenſus igne dignisſimi amoris, conſtanter ſuſtinuit ſupplicia paſsionis, & per immanitaté tormentorum peruenit ad ſocietatem angelorum. Nẽpe nouum priùs, & inauditum miraculum exanime corpus viuentis currere more, & hominem iã mortuum recto greſſu incedere. Sed quanq̃ ſit mirũ, non eſt tamen difficile, præciſo capite ſanctiſsimi viri, corpus angelico miniſterio in modum viuentis ambulare, cùm idem Deus ſua omnipotentia efflato ſpiritu cadauer eius facilè propter fidei ſuæ cõmendationẽ, q̃ iſdem ſuus fidelis ſeruus prædicauerat, facilè vt iret, potuit regere qui, idipſum corpus de puluere terræ compingens, ſpiritu quo vegetaretur, dignatus eſt inſpirare;

Miraculi eius ratio.

Miniſteriũ angelicũ hominẽ angelicum, & de ſe optimè meritũ, etiam cap. plexũ facilè deduxit.

Generalis & catholica eſt regula, hæc prodigioſa fieri ob fidei profectum. Sic Theod. de ſtatione Sim. Stylitæ.

re: idemq; redactum in cinerẽ, dignatus est reparare, & qua vix erat anima viuidũ perhẽniter reddere. Quod stupendum miraculum, cũ superiùs fata Larcia con pexisset, prosiluit in infidelium turbas, & vociferata est se esse Christi gratia Christianã: quæ mox capta, & in Christi Domini nostri confessiõe sanguinis sui fonte ab immũditia idolorum occubuit, baptizata in remissionem peccatorũ: cuius filius Visbius, quem ex præscripto Lisbio viro susceperat, Romã ductus, Domitiano eius *Pilato, per tres Cæsares militauit, & sub sancto Masso episcopo, qui tertius à B. Dionysio Parisiorũ rexit Ecclesiã, reuersus omnibus q̃ sunt mundi relictis, baptizatus, & religiosorum Christiq; pauperũ numero est sociatus. Cæterùm metuentes persecutores, & gẽtiliũ *falángę, ne cõuersi populi, fidelissima, ꝓbataq; deuotio sanctorũ corpora,

Nunquid resuscitatus ergo est Dion. an de ambulatione ea intelligis, uel resur. tempus spectas futurum tẽporis enallage.

Larcia conuertitur ad hoc mirac. & suo martyrij cruore, à peccat. abluitur.

Visbius Lisbij ex Larcia filius.

**Fortè, in eius Palatio, uel, & in Pal. Vide Syngelum Latinum, pa. 37. b.*

Massus, tertius Parisiorũ Episc.

Visbij cõuersio, & paupertatis uotum.

Persecutorũ decor. R. & Eleu. perdẽdis cõsiliũ.

**Aliàs phalãges.*

Ru-

Rustici & Eleutherij, q̃ in monte vbi ipsi vnà cum B. Dionysio fuerant martyrizati, iacebant: profutura sibi ad patrocinium colligerent, & tumularent. Inito cõsilio eligunt tetris Sequanæ, pfundisq; gurgitibus, martyrũ corpora perdenda cõmittere. Quæ imposita nauibus, ad prouisum gurgitẽ ministros iubent demergẽda pferre: sed Deus oĩpotens præscius futurorum, qui mutat tẽpus, & quod prædestinauit, non mutat cõsiliũ: qui malum Olofernis cõceptum, prudentia beneuolentis fœminæ, immutauit iniquorum consilia, suæ dispositiõis arti industria qua voluit seruire, coëgit: nã nobilis quædã materfamiliâs, Catulla nomine, q̃ licèt paganorũ adhuc erroribus necessitate potiùs q̃ volũtate teneretur addicta, cõuerti tamẽ ad fidem Christi, per exempla martyrum, atq; ad baptismi gratiã peruenire se desiderare, & mente de-

Pagani Christianis M. corpora profutura putãt.

Demergere altiß. gurgite conantur.

Deus id consiliũ infatuat.

Catulla in religiosa, & miraculis cõpũcta.

demonſtrabat & opere, Dei mīa inſpirata, mactæ virtutis cōſilium appetiuit, atq; ad conuiuiū venire poſtulat ſanctorū corporū perditores. Et dum eis copiā oblatæ humanitatis expēdit, à memoria eorum quæ ſuſceperant agenda, diſcuſſit, fidelibusq; ſuis & familiaris voti conſcijs ſecreta ordinatione cōmittit, vt ſubtracta furto, pretioſa corpora beatorū diligenter laborent occultare prouiſiōe. Qui dominæ voluntate & iuſſione cōperta, feſtinanter quod eis p̄ceptū fuerat, exequuntur, furtumq; laudabile, quod nemini dāpnum intulit: & omnibus piè credentibus lucrum maximum contulit, ſexto à memorata vrbe lapide, in ſulcis autumnalibus, quos tunc ſeminib. iaciendis, præſcripta matrona in habundātia parabat arantium, ſpeciem agricolarū prætendentes, velut quiddā ruralis operis abſcondūt: locum etiam certo

Catulla perſec. Marty. inuitat ad cōuiuium. Conuiuio addictos occupat, & interim per ſeruos corp. Mar. ſurripit.

Hæc ita ferro potiùs quàm calamo impreſſa uidebantur.

6. ab urbe lapide in ſulcis ſatorū recōdūt, quæ noctu ſublata, Chriſtiani apponunt corpori Dion.

no-

notamine adſignare procurāt. Ex quo eadem die futura plenius ſemina ac ſibi collegę Chriani, inter nocturna ſecreta ſilentia, præſcripta martyrum corpora tollentes, B. Dionyſij corpori cõiunxerunt, & veneratione qua inter perſecutorum rabiem poterant, deuotiſſimè frequentabāt. Facta deinceps * ſatiõe, nec ſuū ſeges negauit obſequium: quæ tali eſt fœcundata pinguedine, atq; ſic ſe in eā beneficium vbertatis effudit, vt centuplicatos fructus deuotiſſima cultrix adquireret: & patria, mereret ſalutem. Prædicta itaq; materfamiliâs, cùm primùm vidit ꝑſecutiõis tepuiſſe feruorem, locum tantorū martyrum oſſa ſeruantem, qua oportuit honorificentia vnà cū ſanctis Domini ſacerdotib. & fideliū turbis reuerentiſsimè ſatis aggreditur, & incõparabilē theſaurum, quem diu ſibi & poſteris profuturum ſeruauit, oībus patēter eadē

Corporum ueneratio in perſecutiõe deuotiſſima.

**Prius habebat exem. ſanatione, ſed (na) eraſum erat.*

Agri ubertas, q primùm M. corp. occuluerat.

Salus patriæ allata à M. reliquijs conſeruatis.

Catulla ædem ſacrā à perſec. rabie M. erigit in loco quem ſibi Dion. elegerat.

Pompa in ea re.

Reliquiarum S. quātus theſaurus

Publicatio reli. S. à Catulla facta die qua Dion. mortuus, & ædes consecrata est.

Num & locus agonis est hoc modo ornatus?

ſacratiſſima die innotuit, qua beatus Dion. cũ ſocijs ſuis triumphãs agonẽ expleuit, & coronã victoriæ accipere de manu domini meruit, atq; teſtis Ieſu Domini pretioſus ſidereum ſenatum poſſedit, ipſumq́; locum eminentis mauſolei ędificatione ſignauit. Sanctorũ quoq; corporibus, digna veneratione ſepultis, eorum veſtimenta, tunica videlicet, cilicium & caligę Dionyſij pretioſi, & caſula S. Ruſtici archipresb. atq; dalmatica B. Eleutherij archidiaconi, exceptis portionib. quæ pro reliquijs electorum Domini, à fidelium deuotione ſumptæ ſunt, vſq; hodie debiti cultus reuerentia cõſeruãtur. Quorum meritis & precibus, eadem venerabilis fœmina, in nomine S. Trinitatis ex aqua, & Spiritu ſancto renata, cuncta, quæ habere potuit, domino Ieſu Chriſto ſaluatori noſtro, atq; ipſis martyribus tradidit, & ſacras excubias

Reliquiæ S. Dio. & socio. quæ & quàm reuerẽter habitæ.

Ergo his uestib. semper illi tanq̃ clericalibus usi.

Martyrum intercessio.

Votum paupertatis.

apud

apud eorum corpora q̃diu ſuper-uixerat celebrans in bona confeſſione ac conuerſatione ad Chriſti & ſanctorum martyrum gloriam, ipſis intercedentib. migrare promeruit. Proceſſu verò temporis multiplicata fideliũ numeroſitate, Chriſtiani & B. Dionyſij patrocinijs, deuotiſſimi baſilicam ſuper precioſorum martyrum corpora, magno ſumptu, cultuque eximio conſtruxerunt: vbi cotidie operãte Domino noſtro Ieſu Chriſto, merita eorum virtutũ probantur monſtrari frequentia. Quorũ miraculorum inſignia, nõ ſolùm ſermo nõ præualet enarrare: verùm nec ipſis queũt humanis mẽtibus cõprehẽdi. Vnde nec dignitas honoris & magnificentiæ eorũ hominis cogitatu poteſt attingi. Experiũtur tamẽ infirmi, ac quibuſcunq; anxietatibus afflicti, in eodẽ loco, & vbiq; Domini clemẽtiam per eorundem merita martyrum

Frequentatio & uigiliæ ad Mart. Reliquias.

Baſilica corporibus ſuperinducta à fidelib. auctis.

Reliqua earũ mirifica uis inenarrabilis.

Congeries & σύνοψις miraculorum.

inuocantes, quantũ Dei famulos conueniat honorari, quorum interuẽtu recipit cæcitas visum, debilitas gressum, & obst rictæ aurium ianuæ recipere merentur auditum. Sed nec illud silendum est, quòd immundorum spirituũ infestatione vexati, dum ad memoratorum Christi testiũ tumulos examinandi virtute diuina ducũtur, sanctorum ipsorũ coguntur imperio, quo quisq; sit martyrum positus loco, designatis nominib. indicare. Quorum memoranda & gloriosissima passio è regiõe vrbis Parisiorum, in colle qui antea mons Mercurij, quoniã inibi idolũ ipsi⁹ principaliter colebatur à Gallis: nunc verò mõs Martyrũ vocatur, sanctorum Domini gratia, q ibidem triumphale martyriũ perpetrarũt. Celebrata est 7. Id. Octob. Anno ab incarnatiõe Domini nostri Iesu Christi, 96. à passione autẽ 64. ætatis verò beatissimi Dionysij

Dæmones quoq; exigunt.

Locus agonis sacri, ubi situs.

Mons Mercurij prius dictus, usq; nunc Martyrũ.

Dies & annus cõsummationis ab incarnat. & pass. Christi.

nysij, circiter 90. Imperij quoq; Domitiani crudelissimi Cæsaris, 16. ingruente. Quem vltio diuina, vt & Neronem, cuius hîc portio fuerat post necem Apostolorum, sine vlla est procrastinatione secuta: qua percussus, vitam cum tyrannico principatu, miserabiliter, vt par erat, amisit, Regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui est honor & gloria, virtus & imperium cum Patre in vnitate Spiritus sancti, ab æterno, & nunc, & per omnia secula seculorum,

Aetas Dionysij cõsentit Pachimeres in ætate, & Imperatore, paraphrasi ad ultimã Dion. epist.

Annus Domitia.

Exitus Domit. qui & Neronis sui parentis.

AMEN.

MATTHÆVS GALENVS
L. BEAVSARDO
Neruio ſuo.

Facundiſsime Apoſtoli Piati
Beauſarde nepos, tibi tuorum
Priſcam municipum fidem Piati
Iam deſerturientium, recénſque
Virus percupientium bibiſſe
Iuſtas (ut reor) at parùm diſertas
Fortaſsis, dico reprehenſiones:
Cùm quòd præcipuè tui fauore
Sunt ſcriptæ, atque etiam tuo rogatu
Iſtic (ut memor es ſcio) arbitrorum
Cenſuris recitatione quondam
Subiectæ grauium, & benè eloquentum:
Tum quòd te cupiam meos iuuare,
Atque abſoluere ui tua mouendi,
Dicendiq; peritia imbecilles
Conatus, pietas rogat mea in te
Non obſcura, iubet Piatus ipſe:
Quin ardor patriæ quoq; id meretur:
Quin abs te petit uniuerſa Chriſti
Et ſponſa, & ſoror, ac proinde (ceu fas)
Diuino eloquio tuo eſto macte,
Obſcura & radijs tuis Galenum,
Doctorémque ſinas tuum uocare.

MATTHAEI GALENI VESTCAPELLII AD CLERVM, ET SENAtum N. T. de periculis in quibus verſentur admonitio.

SI quis veſtrûm hîc fortè adſit, Clere ornatiſſime, & ampliſſime Senatus T. qui ſit vel parum gnarus, vel certè memor iuris, ac legum charitatis Chriſtianæ: is vbi me conſpexerit hominē non tantū contemptibilem, ſed & ignotū, & aduenam, & peregrinū ad vos prodire, ſibi continuò perſuadebit, me vel inſignis eloquentiæ, vel raræ eruditionis, vel deniq; eximiæ ſanctitatis fiducia adductū eſſe huc, vt verba ad veſtrā dignitatem, & pietatē de rebus maximè arduis, atque inuidioſis facerem: at ſimulatq; vel ex hiſce, quæ modò protuli verbis intelliget, nullā doctrinā,

nul-

nullam dicendi vim, & ſcientiam expectari à me poſſe, aut debere (nã ne fingere quidẽ tertiæ rei ſuſpicionem metu notæ arrogantię ſuſtineo, nedũ cauſa illa exiſtat) temeritatem, atque imprudentiam meã damnabit, & (vt quã præclariſſimè mecũ agat) zelum eum (quem vulgò nõ ſecundum ſciẽtiam appellamus) adſcribet. Nam ſi Gregorij Nazanzeni me ſequi exemplũ hominis modeſtiſſimi, & de ſuis virtutibus, ac laudibus æquo ſubmiſſiùs ſentientis, adeoq; proprias oues deſerentis, & Conſtantinopolin migrantis ad ſudores plurimos pro Deo verbo exhauriendos, minas, pericula, pugnas aſſiduas ſubeunda dixero, hominis gloria, & eloquentiæ, virtutis, eruditiõis Theologicæ fama cauſam meã faciet ilico diſſimilem: ſi Aphraatem, Iulianum, Antonium meo inſtituto coner prætexere, beatiſſimorum hominum iſtorũ ſanctimonia notiſſima, etiã tum ſtupẽda ſigna, & prodigia, quibus pro ſermone in fidei ad-

 ſertio-

ſertione vtebantur me deſtituent, & patrocinio exuent. Etenim licèt horũ extremus etiam ab imperitia literarũ prædicetur ab Athanaſio ſuo: tamen præconium illius Orthodoxię per vicos, & plateas Alexandrinas vniuerſas obitum, & ſuffragium Athanaſio præſtitum, nobis nequit patrocinari vllo pacto. Quid enim excogitẽ, quid dicam T. T. quo conuincam viros illos nõ fretos ſanctimoniæ ſuæ fulgore, aut vi miracula edendi: ſed impulſos ſolo charitatis ardore idem, quod nos modò tentauiſſe? Cæterùm ne vos longiori offendã principio, itaq; inuidioſior fiam exponã tribus verbis, quid me permouerit ad hoc diſcrimen adeundũ: vos pro veſtra ſapientia, & pietate dijudicate nũ inconſultè egerim, & non ſatìs iuſtis ductus ſim ratiõibus. Ergo fingebam animo Imperialem, & celeberrimã hanc vrbem vndiq; cinctam, & obſeſſam ab hoſtibus, & quidem Turcis, aut etiam his immanioribus, Senatum, & Præfę

ctos militem fortiſſimũ,&lectiſſimos è ciuium numero in certas ſtationes diſtribuere in mœnibus,ac turribus, ſeu alijs murorũ propugnaculis prece,ac precio rogare, & non tantũ iubere excubare, ſtare, dimicare patriã ſeruare,deniq; pro parte maximè formidoloſa,& periculoſa collocare florem totius præſidij: attamen fieri (vt fieri poteſt,& alibi viſum) hanc conſtantiſſimã alioquin ſtationẽ partim torpore, ac veterno, partim ſopore, partim vel metu, vel certè infidelitate corruptã irruptionem hoſtiũ crudeliſſimorũ proditoriã,vel nõ aduertere,vel nolle impedire, ac ſocijs denuntiare, arma capeſſere, & ad arma conclamare: cæterùm proditionem, inſidias, & hoſtiũ illorum inuaſionẽ vrbis increbreſcere,& ceſſationem illius eximiæ cuſtodiæ,ac cohortis,cuius propriã fecimus defenſionẽ illam innoteſcere cuipiam alterius procul inde ſtatiõis militi imprudenti quidẽ illi,incauto,neque ſatis ſtrenuo, fido

tamen,

tamen, & vigili, cui cùm argumentarer, ac colligerem eo in casu, ac rerũ discrimine minimè esse silendum, ac tacendũ, sed omnibus modis socios omnes in eam partem exciendos, eò sibi cõcurrendũ, vociferandũ, deniq; nihil omittendum eorũ, quæ facerét ad hoc, vt tam euidẽs periculum, vel per stationẽ illam, vel per quoslibet alios propulsaretur, & vt patria, ciuitas (inquã) florentissima T. tuta, & salua conseruaretur, adeoq; veluti è faucibus beluarum illarũ extorqueretur: nihil minùs mihi quoq; tentádum, audendúmve putaui tandem in non minori, sed grauiori periculo, non alicuius alius oppidi, sed huius eiusdem dictæ, & nunquã satis laudatæ alioquin vrbis, & N. N. Metropolis. Nã si me liberè loqui velitis, ac iubeatis Amplissimi Clere, ac Senatus, quod de vestra iugenuitate, & synceritate non possum non mihi polliceri, non tantùm circundata obsidiõe, ac oppressa est patria vestra, & qui-

quidem non ab hominibus, ſed diris cacadæmonibus: verumetiam capta, & tantum nõ penitus eſt direpta: flã-mas, ac fauillas incendiorũ, cũ ædificiorũ, tum templorũ ſacratiſſimorũ, cęlos penè ipſos attingere: arcem, ſeu domũ publicam, & ciuicam ignibus ſacris depaſci, paſſim miſerrimorũ ciuium ſtragem fieri, volutari, & conculcari cadauere cernere eſt: & ſtatio, cuius fidei ſumma omnia concredita erant: cui maximè erat vigilandum, cui ij, qui magiſtratum, ac præfecturam, ſeu imperium egerũt plurimum fiſi ſunt, & periculi imminere ſciuerunt, atq; iudicauerunt, ea (inquam) ſtatio ſi proditionis ac perfidiæ ſit expers, attamẽ (nihil diſſimulabo, quando vos id velle confido) torpore, timiditate, fuga, deſerit muros, & dubitat periculo vitæ fidẽ ſuam liberare. Quid? eſt quiſquã in vobis T. T. qui quid dicam non adſequatur? Dicam vtcũq; ſit, dicam fretus cõceſſa licentia apertiùs: nõ tan-

tùm

tùm religiosissima hæc quondam ciuitas periculum sustinet hæreseôn, verùm iam ab illis non paucis, & penè inter se pugnātibus est occupata: siquidem non maxima tantū ciuium olim orthodoxissimorum pars captiua est hac miserabili captiuitate, sed & bona pars senatus, nonnulla pars quoq; Cleri, religiosorū, seu monachorū adeoq́; concionatorum, nec est quisquā ferè, qui sacramenti meminisse videatur è præsidio, quiq́ue mortalitate hanc vitam bene credat emi. Certè quicunq; toxico hoc hæreseôn necati sunt calamitosiores existere, quā si publicorū, & prophanorum, & sacrorū, & priuatorū incēdia paterētur, adeoq́; quā si cadauera sua canibus obiecta in plateis proijcerētur: nemo est, qui negare queat, & mox planiùs etiam à nobis si necesse sit fiet. Quapropter nulla est cuiquā inuidia, nullūq; ab ijs cuiquā fit præiudicium, aut probrū, si ex alijs eiusdem ciuitatis propugnaculis manus
huic

huic exitio admoueatur, eiq; prohibendo, aut minuẽdo opera nauetur. Igitur quisquis es, qui nos ad hanc tam longam coëgisti insinuationem, sine, iube, hortare nos peregrinos quidem, & parum strenuos, ac callidos milites, fideles tamen, vigiles, & vestri pietate non minima accensos communi incendio, lui, pesti, operá, quam possumus præstare: permitte vt generosam hãc stationẽ, & vallem munitissimam, & præsidij robore optimè instructam ad officium excitare, inuitare, rogare, ꝓtrahere conemur. *Propositio* Nã cuius tam vel importuna, vel incõdita, vel obstrepera vox, & clamor vigilis fingi potest, quis tam ignauus, somnolentus, meticulosus: quin extemplò ad tam præsens periculum, & flebile spectaculum accurrat, aduolet, adsit, quamdudũ proposuimus? Etenim Ecclesia vniuersa Catholica non tantùm vrbi alicui rectè comparari valet, vt modò nos fecimus: sed etiam ædibus priuatis, immo homi-

nis

nis vnius corpori à Spiritusancto ipso collata est in scripturis non semel. Quapropter quicunq; sumus orthodoxi sumus, orthodoxis omnibus nõ aduenę amplius, aut peregrini, sed ciues, sed domestici adeo quemadmodum sanctus testatur Apostolus. Igitur quicquid ille ciuis ciuibus, seu cõ ciuibus suis faciat rectè, & laudabiliter, immo necessariò, idem nos inter nos, & possumus, & debemus. Atqui quantumcunq; longinqua regione Vrbis cõmunis excubare iussi sumus, Tornacenses, pericula tamẽ vestra nõ potuerunt nos latêre: clariora, & maiora sunt mala vestra, quã vt nobis nõ increbrescerent. Capessitote igitur arma, prehendamus aliquam arcem, plusquam tempus est, vnde hostes diros vrbe receptos conemur repellere, fugare, aut certè pro patria piè, fortiterq; occũbere mereamur. Quousq;, obsecro vos, locũ esse cunctationi relictũ arbitrabimur: quando tandem vel nos nostra tangent pericula,

Ephes. 2. extre.

vel

vel tam horrendæ ciuium infinitorũ, atq; innocentiſſimorũ cædis nos miſerebitur? Quid? quiſquãne veſtrûm ſaltem pientiſſime Clere negat ſe ſtragem, ac cruorem vllum ciuium Tornacenſium vtriuſque ſexus cernere? Quiſquámne ſe paſſim indignis modis necatorũ non hominum tantùm, ſed & ciuiũ, & vicinorũ, & amicorũ, & propinquorũ, & domeſticorũ deniq; cumulos inficiabitur contueri? Nónne conſpicitis, quòcunq; cogitationẽ, & mentem circumducitis oẽs, hîc aliquot millia crudeliſſimè ſubmerſa, illic (infandum) inædia, & ſiti extinctorũ maximas ſtrues, alibi peſte, morbis, fœdiſſimis plagis, ac vulneribus ob medicinam oẽm, & ſalutaria pharmaca ſubtracta, & erepta incredilibus cruciatibus exanimatorum plenas domos? Quid memorẽ, aut in cõpedibus, & manicis diabolicis trucidatorũ turbas: vel quid exponam rabioſorũ perduellium in non ſemel mortuos furorẽ, et debacchatio-

nem? Nã truculentiam illam, qua interfectorúm impijssima tractatione, & cõculcationem suorũ etiam parẽtum è medio sublati sunt. Postremò seruati, quis queat verbis vllis adsequi? Sed fortassis malitiosus aliquis, magìs quàm pius, et misericors ista simulabit sese nõ capere: et me veluti nugiuendulũ poëtam, aut fabulosum quempiam Æsopũ criminabitur, atq; auersabitur. Cæterũ pij omnes (quales vos esse cunctos non dubito pronunciare) qui hæresin non communem, non naturalem, seu necessariam corporis mortis, sed nunquã satis deflendam animi, ac spiritus Christiani necem, ne dicam exitium credunt: ij profectò non immeritò me illa vsum miseratione, ac deploratione fatebũtur. Si nanq; Ieremias aliquis nõ grauatus non minùs operis, quàm diuinis threnis, seu lamentationibus suis prosequi, et deflere corporis, ac vitæ iacturam: si gladio, fame, siti, alijs cruciatibus sublatos: si captiuos adeo lu

geat ſuos ciues, quibus ea res expediebat, et ad minorẽ ſaltem proficiebat damnationem: quid non æquum eſt fiat à mediocriter pijs in æterno interitu tot animorum, Chriſti ipſius pretioſiſſimo ſanguine redemptorũ, idq́; non ſemel tormentis, atq; exitijs varietate, et horrore mirandis? Quid non parum reputetur, vbi videamus infeliciſſimi et Catabaptiſtas animos ſemel Chriſti ſanguine viuificatos, et ſeruatos peſtilentibus ſuis aquis, et merſionis ſtygijs planè ſuffocare: vbi ſacramẽtarios, et Caluinianos intueamur regali illo cibo Euchariſtiæ Ambroſia et nectare famelicos ſpiritus noſtros abſtinere, arcere, vi multa auellere, et neſcio quibus fantaſijs, ſignis, et (quod in prouerbio eſt) meris ventis, et ſonis nos paſcere velle, hoc eſt, nephariè enecare? Vbi Lutheranos, et cæteros (vtì dici malunt ꝓteſtãtes) inſpectemus horribiles plagarum noſtrarũ hiatus, ægritudines, peſtem nõ vnius generis mortiferam

medica ſacerdotum manu, et abſolutionis, pœnitentiæq́; præſentiſſimis potionibus curari, atq; alijs ſacramẽtorum pharmacis animis noſtris depelli vetare per ſummam tyrannidẽ, et ita cogere per ſummos cruciatus ad interitũ? Vbi conſpicemur eoſdẽ, ac penè ſimul omnes libertatis arbitrij, et meritorũ exibilatione, manus omnium ligare, et ſceleſtiſſimo conſilio conſtringere vinculis portentoſis ita, vt miſerrimi nequeamus capere cibum, operariq́; in vitam animorum noſtrorum ſempiternã? Vbi (vt ſemel finiam) præter innumerabiles alias Chriſti ouium carnificinas, etiã in propinquos, amicos, parentes tantam doceant nos, et exercere cogant impietatem defunctos, per iuſtorum denegationem: vt non poſſimus non pluſquã quadriduanorũ mortuorum fœtore, et tabe infici, ac ſubitò interire? Hæc cùm ita ſint, T. T. neq; negari queant, nisi ab improbiſſimis quotidie hac in vrbe paſſim fieri, ac per-

Ioan. 6.

perpetrari: quis eſt tam immitis, ac ſegnis vſquam, qui ſibi etiam nunc in alteram putet dormitandũ aurē: qui adhuc ceſſet, hæreat, ſtet vſquam, et nō ſtatim, atq; eueſtigiò ad arma cō-currat, et conclamet? Si proditor eſt, & nequeat ſupplicium extremũ de-precari tentus, qui periculum expug-nationis tãtum non denunciet, pro-dat, et detegat: quid meretur, qui ho ſtem foro, ædibus ſacris, ac profanis arcibus ipſis tota deniq; vrbe vagan-tem diſſimulet, neget prudens, & ſci-ens, & neq; ſibi, neq; ſuorũ conſulere ſtudeat? Verùm hoc noſtrum com-mentum inopinatũ cuipiam fortaſſe videbitur: & beatiſſimi, mirificentiſ-ſimiq; Aphraatæ factum ac dictum opus nos erit præterea adferre, qui non ſolùm ipſe ex longiſſimo intimæ ſolitudinis regreſſu, vnde alioqui nul lo pacto auelli, abduciq; potuiſſet: in ſimili, immo minori Antiochenæ ci-uitatis diſcrimine ad turbam ſe pro-ripuit atq; accurrit, exēplo nos, qui-

bus cura gregis commiſſa eſt maximè docens, quid nunc facere oporteat: verũ teſtimonio dicto inſuper apud, & imperatorem demonſtrauit nullũ non noſtrûm hæreſeôn incendia eccleſiæ Catholicæ vbilibet illata debere pro virili extinguere: nõ minùs, quàm filiã familias lanificio alioquin occupatam, & colo, fuſoq; aſſidẽtem meminiſſe neceſſe ſit pietatis, & fuſos, columq; abijcere, ſi quandò ſubitò alicunde flammam in ædes paternas incidere cõſpiciat, minimeq; deſpicere domum, ac fortunas patris, opificio ſuo incumbere fas ſit, & non ſurſum, ac deorſum currere, aquam adportare, infundere, et nihil non facere, quæ ad flammæ ſerpentis reſtinctionem deſiderari queãt. Vnde liquet, Tornacenſes, quanta incumbat neceſſitas huic periculo occurrendi, non modò ijs, quibus onus hoc ſingulariter mandatum eſt: verumetiam cunctis omnibus Chriſtianis, et qui domus, familiæq; Eccleſiaſticæ gau-

Domui cõparauit rectè Eccleſiam: quia Paulus 2. Ephe. Nos domeſticos quoq; uocat ſanctorum. Et 2. cap. d. ad Timoth. 2. magnã domũ uocat Eccleſiam: quin & Chriſtus fideles ſuos domeſticos dicit Matt. 10. c. & Gal. 6. c. domeſticos fidei Paulus dicit.

dean

deant nomine censeri. Quid enim heremitæ illi sanctissimo cum plebe Antiochena negotij, quod illi munus erat iniunctum præter charitatis imperium, quo veluti pia filia ferre non poterat, neq; debebat ædes paternas Arrianis ignibus cōcremari? Neque verò solus diuinus hic vir illud sibi faciendum contra hæreses grassantes putauit, ne quis et hîc mihi zelum imprudētem obganniat, sed eadem planè tempestate idem factitarunt Diuus ille Iulianus, et ipse heremita q-dem: sed Apostolorum nulli miraculorum êdendorum facultate secundus, et paulò antè notissimus Anthonius: quorum hic ne Alexandrinos quidem vicos, et plateas, (vtì & antè monui) obambulare, et præconem orthodoxiæ grauatus est agere, et Arrianam impietatem cōtrà execrari. Quòd si ergo homines beatissimi, et Cortinæ (vt ita loquar) tripodesq; Spiritussancti, in solis degentes locis, mundo, et turbis mortui, sibi cōmit-

tendum haudquaquam putabant, vt fidei defenſionem negligere viderentur, & tantarum quidem à ſua cura tamen & fide alieniſſimarũ vrbium ſtrepitus, & potentiſſimorũ hoſtium, Imperatorum nempe & orbis vniuerſi principum, atque ordinum fremitus, minas, ſupplicia, cõtempſerunt ſolius charitatis, & timoris Dei hortatu: quid dicẽt Epiſcopi, Præpoſiti, Decani, paſtores, & presbyteri: quid denique Eccleſiaſtæ? quid & nos, qui quidem ſingularem à communi parente curam alicuius partis domus non habemus commiſſam, non deſijmus tamen eſſe (vt opinor, & ſpero) filijfamilias, & ædes ſanctas habitare? Quiſquámne feret, quæſo, patietur, diſſimulabit non dico patris, & ſuas, ſed alienas, ſed inimici capitalis, ſed hoſtis ſui, ac ſuorum ædes, vel incẽdi, vel inuadi, diripi, cæde, ac rapina compleri: & ſine ſcelere, ſine piaculo, ſine parricidio ſibi illud facturus, paſſurus've vlli mortalium videatur? O cæcum,

O bel-

O beluinum. O nefarium pectus, quod tale quid iudicet, aut affirmet. Quapropter intelligit Amplissimus senatus, non soli Clero hęreseôn, atq; infidelitatis propulsationem, extirpationemque incumbere: sed non minùs, vel sanè non multò sibi rem illam esse debere cordi: immo non solùm ipsos, sed nos omnes conspirare copias, & operas coniungere, & mutuas prębere oportere. Quanquam enim non omnes sumus Tornacenses: tamē sumus Christiani, sumus Catholici, sumus Ecclesiastici, hoc est, Ecclesię Christi filij vtinam pij, & digni: itaque quicquid domui, & familiæ fit, aut incommodat: non potest non ad nos pertinere: licèt igitur non omnes simus procuratores, pastores, œconomi constituti, tamen tantùm abest, vt negligere gloriam, rem, commodum, salutem denique cuiusquam è familia vniuersa nō plurimi facere debeam⁹: vt reuerà cum ea vnum existamus corpus teste Paulo, & ideo nihil non ha- 1. Cor. 12.

beamus commune. Num ergo quiſquam hîc putabit brachium ſiniſtrū, aut pedes, aut aliud quodlibet membrum à capite ſi queat depellere periculum non debere: ſi continuò dextra, aut ſi quod aptius ſcutum nō curet? quis neſcit capitis incommodum aut alterius omnino cuiuſcūq; membri totius reliqui corporis, hoc eſt, noſtrum vniuersè nō ſingulatim huius, aut illius partis, & dici, & eſſe? Igitur quis non intelligit membra ſe inuicē, & perniciem corporis præſtolari non debere: & ſingula in alterum protectionem deuoluere: ſed certatim cōcurrere, & præuenire ſeſe mutuò oportere: et nos eundem ad modum moras cunctationum debere rumpere: non eſſe nobis in hoc periculo cōtēdēdū de officijs, et munijs, non eſſe fas alteri potiùs, quàm nobis cedere palmā, et meriti, coronæque honorem præripiendum relinquere. Siue ergo iniuncti muneris ſimus adhuc expertes, ſiue etiam conſortes, ſiue pes dexter, ſi-

ne finister simus, siue lęua, siue dextra, siue quodcũq; aliud mẽbrũ, siue articulus aliquis è minimis simus, siue oculi, siue aures, quicquid tandẽ simus, si tamen primùm aduertamus, deprehendamusq́; periculum cõmune corporis, domus aut etiam vrbis Ierusalem: oportet adnitamur, et periclitemur vires, aut vt saltem cęteras principes partes, ac sensus quasi quosdam vigiles, & præpositos moneamus prouincię suę, & in auxilium aduocemus, ac trahamus. Quocirca ornatissime Clere, si tãta nobis peregrinis etiã, & non solũ vestris ciuib. senatui, pfectis necessitas est imposita obsistẽdi hisce malè sanis hęreticorũ incẽdijs: quãtò maior vigilãtia, & fortitudo vos decet? Mercenarius nauta periclitãtẽ nauẽ etiãsi seruare nõ raro queat, fugit tamẽ impunè (vt videm⁹ nõ raro) saluti, & securitati suę cõsulẽs: at gubernator & Nauclerus sine dãno grãdi, & æquali omnino nõ potest. Memẽtote potissimũ Episcopi, Pastores & Doctores

non

non temerè,neq; ſine myſterio vos dici ab oraculorum veritate, & ſapiētia paſtores,plebem autem vobis cōmiſſam oues,greges, armēta etiam interdum : iubentur oues paſtorem ſuum tegere,& nutrire: vos iubemini contrà paſcere,cura vobis , & gubernatio liberrima,& planè regia creditur : mādatur nō ſine ſeueræ exactionis,& ꝑpetuæ obſeruationis paſtorum principis Chriſti denūciatione, ac minatione:adeò vt ſanguis ouiū(vt æquū eſt) de manu ſuorum cuſtodum requirendus prædicetur:& niſi cum Paulo omnia feceritis,Tornacenſes: niſi omnia verbo , & exemplo oſtenderitis gregi veſtro,inde funem omné moueritis, quò conducibilem ſperare ouiculis veſtris quibatis:putatis vos mundos fore olim à ſanguine tam multorum, quos interire dudum nobiſcū cernebatis,& ipſi meminiſtis? non ſufficit nunc,atq; haud ſcio num vnquam ſatis fuerit,peccatori annunciare duntaxat ſua peccata, & ſupplicia parata:

Act. 20.

ſed

ſed adeo præterea neceſſe eſt omnia tentare, vt & vitam pro ouibus profundere oporteat, niſi momẽtaneam vitam corporis, cũ animi æterno commutare interitu placeat: nec tamẽ inficior ipſas oues primùm poſt huius vitæ malam tractationem perituras, ſi lues, contagio, aut hulceroſa aliqua ſcabies eas corripiat: attamen dominus gregis ſuos cuſtodes, quorum vllo vitio id admiſſum ſit, exquiſitis ꝑfectò ſupplicijs, longeq́; immaniorib. quàm incautas, & miſellas oues competant optimo iure perdet olim. Nã plus ſatìs mali, ac pœnę ad oues redit ex perpeſſione luis ſuæ, & immeritò aliquid amplius, aut ſæuius in illas decernatur. At in paſtores damni, ac luis illius auctores, nunquam ſatis dignis modis poteſt animaduerti à domino gregis præſtantiſſimi, & cariſſimè empti, hoc eſt, ſuo ſanguine amãtiſſimo. Vt enim paſtoris bruti pecoris ſit culpa ſolius, ſi grex vel inficiatur, vel infectus non curetur, ſed intereat: ita nõ

ſubdito-

ſubditorum propriè reputatur apud Deum peccatum, ſi contagione vlla adflari contingat (licèt non minùs idcirco & ipſi pereant cũ paſtore) ſed ꝑfectorum, & ſpiritalium chirurgorum negligẽtiæ, impietati, ac perfidiæ ſummæ deputatur. Ego nanq; ſum (inq̃t ille diuini iudicij non malè conſcius) qui peccaui: iſti, qui oues ſunt, quid commeruerũt? in me obſecro manus tua vertatur domine, &c. Quocirca vt ne multa, oportet modis omnib. hãc Neruiorum obuallemus ſtationem, natura quidem præcelſam, et inexpugnabilem, hoc tamen tempore vel hoſtium non dicam potentia, aut calliditate, ſed infandis cuniculis, vel præſidij alioquin lectiſſimi oſcitantia, timiditate & (ferè eſt vt dicã) proditione, aut certè turpiſſima deditione expugnatam, & depopulatam: non ſolùm quia ſociale ſit bellum, hoc eſt, pro ſocijs, ciuibus, fratribus, carne, & ſanguine noſtro, nobis ipſis, denique fide, religione, Deo optimo maximo: cõtra

(vt

(vt verbo dicã vno) diros hostes, et infernales furias: nõ (inquã) q̃a nos pietas eò vocet, iustitia citet, necessitas compellat: sed quia pleriq; imperiũ accepimus a domino Christo, altero sacramento nos obstrinximus, stipendijs amplissimis, partim vt nunc fruamur, partim ornandi præmijs incredibilibus olim simus. Quæ omnia si nihili fiant à quoq̃ nostrûm, minę, ira terribilis summi imperatoris, immo extrema supplicia, quæ omnipotẽs & seuerissimus haud dubiè Iudex reposcet olim, nos frangant, excitent, deterreant. Sanè frustra illud quisquam sibi imponere patiatur, q͛d speret fortè finẽ sua sponte mali, hoc est, naturã adiuturã, depulsurãq; sine medicinæ adhibitione vim pestis: nã cũ oĩm malorũ conatus in peius semper proficiant, teste Paulo, tũ hæc lues serpit, vt cãcer eodẽ auctore: itaq; hîc ĩ primis valet, & tenẽdũ est poëticũ hoc: Prĩcipijs obsta, serò medicĩa parat̃, Dũ mala ꝑ lõgas cõualuêre moras. Quicq̃d
enim

enim morbi pelli, fugarívе potest à radicibus actis: hæresis nequitia certè nequit: adeo vt prouidentia diuina ipsa opem suam videatur subtraxisse, & vetet medicum adire post vnã, atq; alteram admonitionem. Ergo agite certatim Clere, & Senatus amplissimi nõ aliter, quàm pestiferam contagionem vrbe vestra quã fieri potest ocissimè, hoc est, prudentissimè, & sanctissimè abigite, extirpate, procul eijcite, cui voluntati ac studio equidem quidvis polliceri ausim, & propitium, felicẽq; Christum precor, cuius misericordia, & munere illud vobis detur, ac semel aliquando perficiatur. Cui honor, gloria, & potestas in secula seculorum, Amen.

ALTERA EIVSDEM ADMONITIO, ET DEHORTATIO AD plebem T. vt ab hęresibus in ea gliscentibus partim caueat, partim resipiscat.

QVanquã non ignorem C.T. quanta soleamus inuidia laborare apud plerosq;, q̃ orthodoxi, & quidẽ Louanij versati sumus: attamen fretus tũ humanitate, & pietate, quam nuper in Clero, & senatu vestro sum expertus, tum quasi allectus, & ductus recordatione priscæ, atq; auitæ religionis huius vrbis, & Maiorũ vestrorum: non potui hinc discedere antè, q̃ conatus sim, vestrę quoq; charitati nõ nihil spiritalis doni, ac gratię impertiri. Quãobrẽ similia apud vestram charitatem dicturũ, nõ dissimili ab ea, qua magistratus vester vterq; me excepit, & prosequutus est superiorib. hisce dieb. audiẽtia, &

 fauore,

fauore, precor, cōplectimini. Certè ea mea est erga vestrā salutē volūtas, tāta pro vestræ Reipublicæ antiqua gloria solicitudo: vt non dubitē adfirmare palàm, vos mihi mutuā debere beneuolētiā. Quid aūt malitis me adferre, qua de re alia agere, quā de ea: à qua vobis plurimū sit metuendū, & (nihil dissimulare me sinit vestri amor, & studium singulare) vnde religio, & salus vestra maximè periclitetur, hoc est (vt libertatem, & ingenuitatē meam respiciatis, & redametis) de hæresib. rēpublicā vestram, si non depascētibus, at certè grauiter vndiq; impetentib. Quid igitur, fortè inquietis, hac de re adfers, quid vis, quid suades, quid vt faciamus adhortaris? Laudo candorē vestrum C. T. & meritò diuinam hāc simplicitatem in vos diligo, veneror, exosculor. Hoc vnū ergò rogo, & obtestor meæ in vos pietati concedere dignemini, vt partim vobis cauere, partim si qui fortè quasi inescati sunt vestrū à mēdacib. lupis, resipiscere, & in viā catholicā redire memineritis.

Propositio

Quid p̄ salutē vos obsecro C. T. magis æquū, q̄d vestra dignius virtute, quid sanctius, quid modestius, quid facilius, vtilius, tutius, deniq; magis necessariū vobis ipsis rogari à bonitate vestra possit? quid sperari, quid obtineri, ferriq; à vestra magnificētia, & facilitate queat, si hæc negetis? Nū verò ęquissimū, ac laudatissimū cuipiā nō videbit̄, sibi à peste neq; simplici, neq; vulgariter cōtagiosa cauere, & incolumitati suæ, q̄ optimè cōsulere? Quid igitur est Deū tētare, & sese in temerariū p̄cipitare periculū, si hoc nō sit? Si religliosi homines suis debita negant officia, corporalib. dūtaxat laborātib. cōtagijs, ne sibi infortuniū cōmercio arcessere à diuina iustitia offensa videant: q̄d hîc fiat, iudicemusq́; necesse est, vbi lues est periculosior, & cōtagio procliuior, & medela desperatissima? Sermo eorū (inq̄t) vt cācer serpit: et ali9, ne ī domū receperitis, si huiusmodi malo ęger ad vos accedat, ait, īmo ne aue dixeritis ei, alioq̄n q̄ secū fecerit,

Partitio.

Cōfirmatio

Quā fugienda sit hæresis auctoritate docetur, cùm ob contagionem tū uim ueneni.

qui (inquã) solùm aue illi dixerit, cõmunicat eius malis operibus: quapropter Paulus, cùm alias nullum constituat correptionis fraternæ modũ nobis omnibus, hoc in negotio etiã Beatissimum Titum monet, hæreticũ hominem post vnam atq; alteram monitionem deuitare. Et quid ni moneat? cùm per se subuersum esse talem constet, & hîc penitus à Numinis pendeamus misericordia, aliter nobis mandãte, & consulente, & arbitrij nostri vires varia concupiscentia, & plurima tabe tantùm nonnullæ sint, et eæ ad malum impellentes? Nam si turpe nõ sit, neq; stultum à vestis corporalis labe, et coinquinatione sibi metuere: si non inhonestè, vel à latronum audacia, ac telis, aut ferarum, ac beluarum rabie morsibus, veneno cautissimo vitæ huic miseręconsulimus, et diuturniorẽ nobis formidine sępe vana prorogamus carcerẽ ac pœnitẽtiã: qd nõ faciamus, atq; adhibeamus amuleti, & prudẽtiæ, in spiritus solo Deo inferio

ris

ris non tam discrimine, quàm exitio? Præsertim cũ huic maximo, et reuerà formidolosissimo periculo, quod ꝓprium est animi, nõ minùs, neq; magìs contemnendum, corporis quoq; connexũ sit infortuniũ. Nã Ioannes Euangelista nũq̃ domo cuiusquam orthodoxi hæreticis interdixisset tã cautè, ac seuerè: nisi vel ædium ruinã, vel maius eo incommodũ ad illius introitum veritus foret. Nõ enim exemplo suo, quod M.N. certissimum contestãtur: improbabilẽ hũc fecit ipse cõmẽtariũ: dũ balneas, in quib. impius Cerinthus, suæ tempestatis hæresiarcha lauabatur execratus, et sibi, et suis oppressionem structuræ, atq; ædificij cõminans, procul illinc statim refugit. Proinde qui etiamnũ sani, & incolumes estis C. T. audite tãti Euãgelistæ monita, si sapitis; sequimini exẽpla, nisi salutis vestræ existatis prodigi: q autem velleribus estis dolosis pridẽ decepti, et in lupos crudelissimos, et rapacissimos (vt ait Chrs) ꝓ ouib. aut certis

Ab incommodis, & periculis, ab arrogãtia, & Tyrãnide hæreticorũ prouenientib. dehortatur deinceps lapsos.

certis paſtorib. veris, ac pijs incidiſtis: quid dubitatis, quàm diu gratia Chriſti vos non omnino deſtituit, neq; repudiat, in libertatem voſmetipſos aſſerere, & duplicẽ execrari, effugereq; tyrãnidẽ? Non enim hæreſis miſeros ſuos ſectatores modò ſubijcit diabolicæ ſeruituti, quod Apoſtolorum princeps Petrus contendit: verũetiam, ꝙ magis deteſtãdũ, iſtorum Pſeudoprophetarum libidini, & impotentiæ facit obnoxios (ſi dijs placet) tamẽ libertatem euangelicam quandam iactantiũ & pollicitantium. Id quod adeo verũ eſt in Lutheri myſtis, vt nõ veritus ſit ſuꝰ infeliciſſimus Pylades Melãchthõ publicè gloriari, & êditâ epiſtola ſibi gratulari, ſe liberatum tandẽ eſſe per ipſius interitum, turpiſſima, ac grauiſſima ſeruitute: En adeò non fallax, & certum eſt, ſanctum illum Euangeliſtam, captiuitatem reſtituiſſe Babylonicam, & potentiam nimiam Chriſti, ſeu eius vicarij Pontificis fregiſſe: vt & ſui proceres, de iniquitate, & preſſu

2.Pet.2.d.

Ad Carlouitium epiſtola ſe deformiter ei ait ſeruiuiſſe.

ra

ra conquerantur. O cæca mortalium pectora. O peruerſa noſtra iudicia. Proh voluntariam, & non paruo emptam pro libertate captiuitatem. Vſqueadeóne veræ, & Chriſtianæ emancipationis pudet, tędet, piget nos C.T. vt odio illius meram amplectamur, & periculis omnis generis, incõmodiſq; nobis mercemur infelicitatẽ? Quis neſcit quo faſtu, qua ignominia, qua indignitate, & abutantur hodie paſſim, & olim abuſi vſque ſint ſibi ſemel addictis, atq; initiatis hominibus? Conſulite vel extremo orbe Geneuenſes: & Caluini non poterit vos latêre ſuperbia, ac malitia. Quò namque blandiores initiò ſunt hæ furiæ, hòc paulò pòſt ſibi obnoxios inhumaniùs habent, & tractant. Pudore enim, & metu ad Eccleſiam, ſuos redeundi abutuntur impij, ad incrementum miſeriarum quidem ſuorum mãcipiorũ, nõ diſcipulorũ, ſuæ verò potẽtiæ, & arrogãtię: maximè ſi vel fiſc*,

2.P.2.a. Et in auaritia fictis uerbis de uobis negotiabũtur &c. 1. ad Titum. Docẽtes quæ non oportet turpis lucri gratia. Contemnẽdum esse reuocationis pudorem.

vel ipſæ illæ harpyiæ patrimonia ſedu ctorum ampla dilapidauerint. Nam prudentes omnes intelligunt, perſonatos iſtos euangelicos tantùm opes, non ſalutem, ac iuſtitiam ſectari: non homines, ſed fortunas amplas eorum ſitire: quas vbi abligurriuerint, et diſperdiderint, votis illi ſuis potiti, etiã exoptent liberari iam exhauſtis, & nudis, niſi repulſa capturam recentium, & non minùs pinguium fortè præcluderet, et impediret. Cęterùm neminẽ hi fumi, et carnalis pudor, aut perturbatio nõnulla adeo debet terrere, aut mouere, vt ideo has miſerias, et grauiſſimas iniurias perferat, ſpe, atq; expectatione æterni, et extremi detrimenti: quin potiùs fiducia piæ matris, et obuijs vlnis filios ſuos amantiſſimos excipientis, et odio iniquiſsimorum impoſtorum, timore, et reliqua parentis optimi reuerentia vltrò obuiàm procurrentis cogitanti tantùm reuerti domum filio, complectẽtis inſuper, deniq; maiore dignãtis appa-

apparatu, quàm nunquam relapſum, & ijſdem omnino, quibus antè ornamentis cohoneſtantis, ſeſe quiuis colliget, & in gratiã redire cum eo, quã poterit ociſſimè adnitetur. Quid dicã vel de priuatis, vel de publicis calamitatibus, quæ noſtrûm quenq; excepturæ ſint continuò, vel iam etiã plexæ ſunt olim, tam publicè, quàm ſingulatim? Non ſolùm plurimæ, & opulentiſſimæ ciuitates: verùm etiã celeberrimæ prouinciæ, & nobiliſſima antè regna huic aſſertioni fidem memoria noſtra firmam præſtiterint. Quis exequi valeat narrando depopulationes, clades, cædes, prophanationes ſacrorum, quas florentiſſimum quondam Angliæ regnũ, paucis annis ſuperioribus eſt perpeſſum? Quis imperij Germanici ſtragem, ac deuaſtationem commemoret, atq; à lachrymis tamen ſibi tẽperet? Prætereo Monaſterij VVeſtphalicæ metropoleos direptionẽ, atq; excidium: Pragæ, Geneuæ, Embdæ, & infinitarum aliarum ciuitatum euerſiones,

Pergit mala hæreſeõn enumerare generatim.

Priuatorũ malorũ catalogus, quæ cuiq; semper adfert hæresis.

siones, atque ærumnas. Nõ persequar autem priuata quidẽ, & parum apud omnino corruptos deflenda damna: re, & veritate tamẽ, nũq̃ satis æstimandas, & quidem vniuersas iacturas. Loquor de traditione Sathanæ, & ꝙ prius est, amputatione, seu præcisione à corpore beatissimo Chr̃i, priuatione singularis tutelæ contra incursus assiduos infernalium furiarum, præsidij multiplicis, & munitionis variæ, societatis deniq; nõ modò plurimæ, & fidelissimæ: verũetiã potẽtissimæ tã cælestis atq; immortalis, quã humanæ.i. Ecclesiæ. Hæc enim, & innumerabilia eiusdem generis alia patrocinia, atq; auxilia, singulis vbiq; locorum degentib. duntaxat hæreticis nunq̃ non acciduntur, atq; eripiuntur. Sed dicent (sat scio) ad quos hæc dicta maximè pertinent: non diffitemur hęc, & deteriora etiam plurima mala sustinere vsque, hæresi vera languentes: at talésne sint ij, qui nunc vulgò dicuntur habendi; an verò illi, qui pro catho-

Ratione temporis docet, antiquam Religionem, & fidem esse orthodoxã.

licis,

ſicis,& orthodoxis reputari volunt & ſolent,diſcernere nobis neque tutum eſt,neq; facile. Id igitur ſi placet ediſſere,& verbis ad nos tibi non erit opus hac de re pluribus, Ita'ne mecũ agitis ciues T. T? hæccíne priſca,& primęua huius vrbis religio,fides,cõſtantia,pietas? Quiſquámne veſtrûm, veſtrũ (inquam) qui non ita olim aurũ Eccleſiæ catholicæ eratis obrizũ,ſynceriſſimum,atque optimum, in hanc conuerſus eſt,degenerauitq; infidelitatis ſcoriam? Quiſquámne è vobis adeò oblitus eſt antiquæ deuotionis, & prædicationis,vt vel in dubium audeat vocare Maiorum veſtrorum tradita,fidem,Euangelium? O conſtantes,et innocentes, immò felices gentes. O Iudæorum pertinaciam noſtræ leuitatis, atque infidelitatis grauem, et terribilem arbitram olim futuram. O mirabilis fidei Chriſtianæ myſterij indigniſſimam contumeliam. Iudæos nanq; cõtra diſertas ſuorũ oraculorũ

voces,contra infallibiles ſignorum,ac prodigiorum notas,& teſtes, cõtra naturæ,& totius orbis teſtimonia,atque adſtipulationẽ videmur reluctari(reclamare quippe non valebant) Chriſtianæ legationi:& nos dementes iiſdem nos argumẽtis & cauſis retrahentibus,ſcripturis, miraculis, vniuerſæ naturæ ſuffragijs,cum omni vẽto mutamus fidem, peruertimus religionẽ, ſalutem tam carè à Chriſto partã proijcimus. Indignatur tamen illorũ mobilitatem Propheta Ieremias quodã & traijcere in inſulas Cethim, in Cedar legatione inſtituta,atq; ad extremos hominum Britannos, aut Garamantas,conſulere gentes, atq; explorare vult Iudaicam inſtabilitatẽ : num vſquam,aut vnquam ſua idola, & falſiſſima,ac vaniſsima Numina proijciant: num aliquando contingat adeò leuiter permutare inuectam dæmonũ cognitionem, & pernicioſum cultũ? Num tam friuolis, ac nullis de cauſis fas putent Maiorum ſuorum abominari

nari ſuperſtitiones? Et quidē Paulus, ſi iſta parùm faciunt ad obſtinationis noſtræ in malo dũtaxat, curationem: in vnico autem Dei cultu, & ſimplici, ſanctaque cognitione eiuſdem mutabilitatis incredibilis: etiamſi nos, aut angelus de cælo aliud, quàm quod accepiſtis, prædicet Euangelium, tantũ (inquit) abeſt, vt fidem vllam adhibere diuerſitati debeatis, vt anathema velim, & optem decerni: Et alibi, State (ait) in traditionibus, ſiue quas per viuam vocem, ſiue quas per ſcripturã, & epiſtolam à nobis pridē accepiſtis. Tenete eas, obſecro (ait) vos fratres: cui Theologus Ioãnes ſuffragatur nō ſemel, nunc initiò docta ſola approbans: nunc præcones, & doctores nouitatis execrans, & execrari pios oēs obſecrans. Sic & Moſes identidem, patres quemq; noſtrûm, & Maiores noſtros iubet rogare, vbi dubitatio aliqua oboriri, & periculum nouationis videatur imminere: & tam certam, & fixam ei rei mandat adhiberi fidē: vt Deut.13.d.

ne miraculis quidē seductorum qc-
quam concedendum vnquā contra il
lam decernat: si prædixerit signum a-
liquod,&prodigium propheta ille im
postor (inquit) & ita euenerit, nolite
tamen ei credere, quin hoc potius sci-
tote, vos Dominum Deū, num reue
ra eum diligatis, tentare: sic pientissi-
mus prophetarum Ieremias ad semi-
tas antiquas nos reuocat: sic Tertulli-
anus, Hirenæus, Epiphanius & cæteri
primi, atq; optimi auctores nostræ re
ligionis, ad traditiones, & antiquitatē
nos relegant. Nos autem homines sa-
pientes, pij, & religiosi, eā fidem, quā
antiqui illi Neruij ante mille quingen
tos annos Doctore beatissimo Piato,
primùm addidicerunt, atq; inde secu-
la omnia suis nepotibus vsq; in nostrā
ætatem, &memoriam, consentaneam
toti reliquæ Ecclesiæ orthodoxæ, ve-
luti per manus fidelissimè tradiderūt,
& cōseruauerūt puram, putam: nos
(inquam) nunc demum ciues T. T.
ad sibilum vnius impuri, & sacrilegi
Apo-

Apostatę,& periuri desertoris,aut alterius nequissimi ganeonis dubium facimus,reprobamus, execramur, & (quod minimum est dicam) inauditũ antè quicquam amplectimur, & orthodoxum clamitamus. Quis enim adeò vel hebes,vel impudens,vel obliuiosus, peregrinus, atque incogitans esse potest,qui dubitet vtrum ea fides & religio,quam etiamnum cũ catholica Ecclesia plurimi nostrûm tenent constantissimè,& nonnulli modò demùm videntur dedidicisse, & morib. libidiniq́ue suæ parum congruentem esse opinati:fuerit,q̃ auctore,&oratore B.Piato admodum olim M.N.acceperunt,& in hunc vsque diem propagauerunt: num verò ea, quam ante plus minus 36.annos Europa tota ignorabat,Christiana Respu.vniuersa abominabatur , Catholica Ecclesia vbique terrarum vsque nunc execratur? Nam ante Lutheri insolentiam, & arrogantiæ grassationem, quid obsecro vos C.T.patres nostri diuersum

aut

aut credebant, aut faciebant ab ijs, q̃ vbique fidelium fiebãt: & etiamnum fieri conſpicimus, & pij exercere pergimus, neq; vnquam deſinemus? Quæ ſi ita ſint, vt ſunt, & ſe habẽt profectò: dubitabitne quiſquam antiqua, & catholica eſſe germana, illa ipſa, eadem: cum ijs, quæ ſtatim à Chriſti morte D. Piatus iuſſu Areopagitæ ſanctiſsimi docuit feroces, ac barbaros Neruios? Num quis audebit ſuſpicari Saxonica, Geneuenſia, Heluetica, denique noua ſomnia, genuinam exiſtere, & puram Apoſtolorum noſtrorũ traditionem, & fidem? Ecquis obſecro, tã eſt excors, ſtolidus, impius? Piatúſne Romæ natus, educatus, inſtitutus, in Gallias legatus, à legato Romano Eccleſiæ D. Dion. initiatus, doctus huc miſſus: ſimilia cum recẽtibus iſtis portentis tradiderit, pugnantia nõ in vrbis tantùm, ſed orbis adeò catholici, atque vniuerſi (vt dixi, atque oculis etiam nunc videmus) ſententia, perſuaſione, vſu, religione? Scilicet deſertor, &

Ex ſancti Adonis martyrologio, qui Treuirẽſis fuit Pontifex, & antiquißima apud Neruios Traditione.

& hæresiarches pfidus à matrice Christiana, & parēte sua Romana Ecclesia impietate, atque nouis rebus promeruit, nullum non honorem, cultum, eloquium. Et quis precor Ciues T. si ita fuisset (quemadmodū libet impijs fingere) vt Caluini, aut alterius antichristi (sic enim cum Ioanne licet appellare & mihi crucis Christi, & pacis nostræ inimicos) cōmenta & superstitiones, diuinus noster Apostolus Piatus didicisset à Pauli discipulo, & auditore diligentissimo Areopagita (redamantibus suis operibus omnibus) & ille à Pontif. Maxi. Clemente Romano hausisset simile toxicum: qs (inq̃) tādē aliquādo tradita prima immutauit, rep̄hendit, aboleuit, qs abrogauit adeò, qs ita extirpauit, vt nullū vestigiū vsq̃ resideat, aut vnq̃ antè apparuerit, vt nulla supersit in vniuersis oīm monumentorum, ac nationū historijs non dicam mentio, sed syllaba? Quòd si enim vlla antiquitas mutationis ceremoniarū, dogmatū've memoriam

continerct minimam : non dubitem vobis C. T. (per Iesum Christum affirmo,& aio) auctor esse, & hortator, detestādi præcepta omnia,& antiqua, vera,syncera B. Piati,& Dionysij documenta reuocādi, ac credendi: at nunc omnes omnium seculorū historiæ his nostris,fidei ceremonijs,religiōe quā constantissimè,&disertissimè suffragātur: Dionysius scriptorum suorum testimonijs fidelissimis eadem comprobat: quin & Clemens ipse filius Principis Apostolorū,& successor dignissimus,honorarius quidam adstipulator & Patronus concurrit: fons lympidissimus riui,atq; amnis nostri vtriusque orthodoxa quàm latè patet aut patuit vnquam Ecclesia, prorsus eadem docet, credit,& semper credidit: & tam demens,atq; improbus nostrûm quisquā erit,qui his deroget,illis, hoc est, perditissimorum nebulonum clamoribus, & nudis adseuerationibus fidē adhibeat? Sed quid vrgeo? diuina vindicta nostrûm plerosque priuat com-

muni ſenſu, & humanitatis particula, recta ratione? Itaque decet, atque æquum eſt, vt magìs oremus miſericordiam donatoris ſpiritus, vt ipſe nos illuminet, & adſenſum, atque intelligẽtiã concedat: quàm vt ratiocinatiõib. non quidem frigidis illis per ſe, ſed citra opem gratiæ tamen ab inanibus, & deliris ratiunculis nihil differentib. prolixius innitamur. Verũtamen hoc vnum addam antè, quàm vos ad precationem dimittam, vt ſymboli, ac teſſerę Chriſtianæ meminiſſe vos iubeam, quicunq; necdum auctoritatis, & maieſtatis illius eſtis obliti, & conſiderare quid profiteamini, dum credere vos aitis Eccleſiam vnam, ſanctam, catholicam, & eam ſuper Cepham, ſeu Petram iactis fundamentis inædificatam, extra quam nulli ſalutis vlla ſpes reliqua eſt, q̃ ſola Chriſti ſponſa & eſt, & vocatur, & matrẽ noſtram ſupernam Ieruſalẽ repræſentat, & conſtituit: quod vbi feceritis, quibuſcunque cura minima eſt beatitu-

dinis, nequaquam ſuſtinebitis abrũpi eam ſtructuram, qua conglutinati eſtis Piato beatiſſimo, & per illum Areopagitæ, & deinde D. Clementi Petri in Romana fide ſucceſſori, & colũnæ eximiæ, atq; ita poſtremò electæ, & celſæ pettæ. i. Cephæ, Simoni ſcilicet Petro: & cupietis periculoſa deſtructione, & ruptura inuecti argilaceo parieti, & arundineæ ſpei hereſeôn nuſquam ſibi, aut alijs conſtantiũ, nulloq́; non flatu, & reflatu huc illuc ſeſe inclinantium: Nec committetis aliquando, vt ambigatis pedibus, manibusq́ue in eam ſententiam, fidem, religionem concurrere, quam exceptis pauciſſimis reprobationis, & damnationis filijs, Chriſtianos vbiq; gentium degẽtes noritis vniuerſos adhuc perſuaſam, & ſacroſanctam habere, & religioſiſſimè retinere, ac tueri, et ante Lutheri rabiem orbi fideli cognitã omnino cuncti ſolam ſciebant, & ſalutarem credebant, et Apoſtoli noſtri Clemẽs, Dionyſius, Eleutherius, Piatus

tus cum discipulis suis, nostris maioribus vnicā tradiderunt, et diuino suo sanguine consignarūt adseruerunt́q;. Præsertim cū hæc traditio, ac fides, sit ipsissima, quæ est, ac semper extitit (sicut docui) catholicæ Ecclesiæ, columnæ omnis veritatis, à qua oīs error, lapsus, hæresis, infidelitas ꝓcul exulat: veritas autē vnica, et syncera adfluit, perstat, dominatur.

Reliquus est mihi hic Epilogus, et obsecratio, qua vos orē, et obtester C.T. vt qui Christi sanguine respersi, hactenus tuti à deuastatore nocturno Caluino putà, Luthero, aut simili mōstro Ægyptiaco cōsistitis, caueatis tātum desiderijs carnis luxuriæ concedere, aut onerare spiritum peccatorū molibus, vt à statiōe Israëlitica moti, in tenebras easdem, et primogenitorum necem, et comploratione minci-datis: quin potiùs auctorem fidei, et spei suppliciſſimè, atq; aſſiduè obsecrabitis, vobis quidem fidē augeat, et auctā custodiat: carnem verò nostrā, nūc

hauddubiè emortuam,et purulentā, pridem tamen viuam,et corpori nostro ita hærētē, ac fixā,vt ne cōſultū quidē ſit ſectionem,aut vſtionem cogitare: dignetur priſtinæ ſanitati,viuacitati,et pulchritudini reſtituere: interea nos contagionis non erimus immemores,ſed non magis,at æquè, ac chirurgi,et medici in curatiōe peſtis: ita opem noſtrā nō denegabimus impiè,vt tamen non temerariè ipſi inficiamur,et venenum incautè parte aliqua non nimis valente,atque integra hauriamus,quod à nobis arceat, abigat, auertat, gratia, et miſericordia Dñi noſtri Ieſu Chriſti (precor) cui cum patre,et ſpirituſancto honor, gloria, et poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.